

Strohblatt



1. Gerhard f. Joh. Ern. / Diff. de umbra,
tione virtutis altissimi ex alio.
1. vers 35. i. cae 1688.
2. Geier f. Mart. / Diff. Riga, nempe
Prot Evangelium Genes. III. v. 15.
ut et Messie mors, Sepultura
ac Resurrectio. Ies: LIII. v. 3=10
Lipſie 1645.
3. _____ Diff. Superstitione,
Lipſie, 1660.
4. Gerhard f. Joh. Con. / Diff. de
rembratione virtutis Altissimi,
i. cae 1665.

92
93
DISSERTATIONIS EXEGETICO-THEOLOGICÆ
DE

DISCIPULIS CHRISTI

EX
MAMMONA INIQVITATIS
Sibi
SUSCEPTORES IN ÆTERNA TABERNA-
CULA CONCILIARE JUSSIS,

Occasione dicti Luc. XVI, 9. enate
PARS PRIOR,

Quam
Favente DEO, & Venerando Theologorum Ordine,
PRÆSIDE
UNIVERSITATIS RECTORE MAGNIFICO,
VIRO

Summe - Reverendo, atque Excellentissimo,

DN. JOHANNE PETRO ~~RUEGENBERG~~

Ph. & S. Theologiæ Doctore, hujusque in Illustri ad Varnum
Academia Prof. Publ. & Ordin. Celeberrimo, Confis. Ducalis, quod Rostochii
est, Assessore, nec non Districtus Mekelnburgensis Præsule Vigilantissimo,
nunc etiam sua FCtatis Decano Spectatissimo,
Domino, Patrono, Præceptore ac Hospite suo
submisso venerando,

ad d. 13. Octobr. c. 13 Icc. horis antemeridianis
in Auditorio Majori,

pro elaborationis mediocritate benevole examinandam Eruditis subjicit

M. JOH. PHIL. STAHLIUS, Hildes.

S. Theol. Cultor.

ROSTOCHI, Typis B. JACOBI RICHELI, Ampliss. Senat. hact. Typogr. hered. 1711.

DSCRPTRI CHRISTI

MAMONIA INIOVATIS

SURCHITIS IN TERRA TERRA

GRADUS MAMONIA TERRA

PARADISO

IN HABITATIONE TERRA

TERRE

MINERATATIS ECOLOGIA

TERRO

DI. IOHANNIS PETRI

DISCIPULUS & AG

DI. IOHANNIS PETRI DISCIPULUS & AG

DI. IOHANNIS PETRI DISCIPULUS & AG

DI. IOHANNIS PETRI DISCIPULUS & AG

DI. IOHANNIS PETRI DISCIPULUS & AG

DI. IOHANNIS PETRI DISCIPULUS & AG

DI. IOHANNIS PETRI DISCIPULUS & AG

PROOEMIUM.

Sed id in vita humana verissimum compertum est, ut, qvæ quid magis vulgariter magisqve frequenter usurpari hominum sermonibus solet, eo minori attentioni ac considerationi subjiciatur. Testes hujus rei luculentissimæ esse possunt innumeræ cum apud vulgus ignobile, tum apud eruditos ipsos consuetissimæ locutiones, proverbia, acutæ dicta, similia, & id genus alia, qvæ sæpe numero frequentari potius, quam recte capi aut adverti sentias. Qvæ quidem res non tam videtur admirationem, quam emendationis votum requirere. Certe notum est, quam vilescant qvotidiana, cum, qvæ sensibus sæpe nostris subjacent, minorem plerumqve videantur mereri contemplationem. Rursum nemo est, qui nesciat, quam multa sint, qvæ ex hoc capite contemnuntur, qvæ tamen melius & exquisitius cognita, meliorem & exquisitiorem possent reddere hominum cognitionem. Sed facilius placatiusqve forsitan hoc tolerari posset in rebus scientiæ mundanæ subjectis, nisi idem in rebus qvoqve Theologicis usu evenire deprehenderetur. Bone DEUS! quam sunt multa in sacris Bibliis, qvæ, non dico per imbecillitatem humanam, illa enim exui non potest, sed per consuetudinem, qvæ nos interdum oscitantes reddit, ignoramus, & intacta prætermittimus! Innumera Scripturæ commata sunt, qvæ vix in considerationem debitam vocamus, & sub iisdem conceptibus aliis proponimus, sub qvibus eadem ab aliis comprehensa atqve usurpata accepimus, parum sæpe solliciti, utrum id recte fiat, an secus. Egregii exempli instar esse potest Christi monitum Luc. XVI. 9. de Discipulis Christi ex Mammona iniqvitatis sibi susceprores in eterna tabernacula conciliare jussis. Profecto quam illud vulgatum sit & tritum, nemini fere per orbem Christianum latet. Omnes illud citare novimus, non omnes eadem ratione, eadem æquitate intelligimus atqve accommodamus. Qylibet sermonibus terere Mammon in iustitiae novit, & tamen, quid sit, sèp si ignorat. Adeò, ut in communem fere loquelam optimum dictum abierit, &, qvæties hominem beneficiis alios cumulantem habemus obvium, eundem commendaturi è Mammon in iustitiae illum amicos sibi facere dicamus, der Mann mache sich vol recht Freunde mit dem Ungleichen Mammon; cum tamen hujusmodi laus parum è verbis gloriofa,

riosa, & ejusdem viri Mammon justissime acquisitum ac possesum
sæpe sit. Mihi quidem, qui utilissimum atque jucundissimum in toto
terrarium orbe illud semper judico, quam fieri potest clarissime per-
spicere voluntatis divinæ, maxime ad æternam salutem spectantis,
clementissima indicia, in quibus omnis honestioris vitæ dulcedo, &
ultima mortis consolatio, ipsiusque æternitatis amoenitas consistit;
inter varias differendi materias hoc ipsum Christi monitum præ cæ-
teris enarrare placuit, posteaquam, inclita ad Varnum Academiam
non tantum gratum animum, sed & honores Philosophicos debens,
Legibus ejusdem publicum aliquod specimen honestissima commo-
nfectione vel imperantibus vel commendantibus, quacumque ra-
tione satisfacere, & grati erga hanc Universitatem animi signum, li-
cet tenuius, relinqueret decrevi. Eqvidem in illo dicto explicando
mentem ab omnibus præceptis judiciis liberare omnino studui, ni-
hilque eo nomine asserendum putavi, quia alii id ante asseruerint,
sed quia verum id esse duxi, probe gnarus, sapissime natam fuisse ex
credulitate occasionem erroribus indulgendi. In causa idem fuit, cur
non adeo multos autores, quorum consensum venarer, adduxerim:
quod propterea mihi etiam condonatum iri confido, quod meditan-
dæ Disputationis tempore in eo loco vivere mihi datum sit, ubi mul-
torum librorum copia & usus non concedebatur: idque eo confiden-
tius spero, quo magis perswasum mihi est, per Disputationum leges
non requiri, ut totæ paginæ variorum autorum nominibus comple-
antur. Cæterum Disputationem adornans statueram, eodem la-
bore totum negotium completi: verum cum & Magnif. ac Max.
Reverendi Dn. Præsidis intercedens iter, & subseqvens Ejus valetu-
do infirmior, tum etiam labor Typographi in honores Excellentissi-
mi Dn. KLEINII, de hac Academia & FCte sua meritissimi, nunc
Consiliari Aulici & Vice-Directoris Cancellariae Justitiae, jure merito
collatus, moras injecerint, fieri aliter non potuit, nisi ut fidem ex
Tabula publica datam servatur, in duas partes meditata dispesce-
rem, & nunc quidem, dilata in hebdomadam proximam parte altera,
examina priorem subjecere constituerem. Quam nunc placidis Domini-
norum Commilitonum colloqviis ita sisto, ut in Antecedentibus &
Consequentibus Dicti nostri maxime ea occupetur, ipsis tractandæ
materiæ medullis subsecuturæ parti alteri reservatis. De methodo
hoc

hoc significo, placuisse nobis totum negotium brevibus includere A-
phorismis, ut statim in conspectu mens omnis nostra posita esset, cu-
jus uberior declaratio è prolixiori horum explicazione deinceps peti
posset. DEUS Opt. Max. exceptis benignè annuat, eademque in No-
minis sui immortalem gloriam & rei literariæ commodum cedere
jubeat! Atque his præmissis fores aperiet

APHORISMUS I.

*Totum negotium de discipulis Christi, ex Mammona iniquitatis sibi A-
micos in eterna tabernacula se suscepturos conciliare jussis,
è solo Luca decidi debet.*



§. 1.

Ingulare immortalis DEI beneficium in mi-
serum mortalium cœtum hoc est, qvod res
à communī generis humani Servatore in-
terris gestas ad hominū salutem per san-
ctissimos qvodam servos suos literarum
monumentis tradi curarit. Neqve minus
etiam divinæ benignitatis ac providentiaz
indictum est, qvod non raro eandem hi-
storiaz sacrae N. T. partem per plures, rarius per omnes Evangelistas,
referendam voluerit.

§. 2. Hoc enim pacto deplorandæ hominū infirmitati atque
incredulitatí videtur Deus consulere voluisse, ut majorem fidem
adhiberent scitis divinis, testibus earundem rerum pluribus existen-
tibus, qui uno qvasi ore temporis successu ea confirmarent, qvæ sin-
guli singulis temporibus hominū memoriaz commode reliquissent.

§. 3. Quemadmodum autem uno eodemque Spiritu S. divini
scriptores ad scribendum acti fuerunt, ita nunquam sibi contradici-
cunt, sed potius mutuo se explicant, frequentissime historiam pro
rei necessitate, & uberiore claritate novis etiam qvibusdam additio-
nibus & circumstantiis, qvarum reliqui mentionem pro libertate
Spiritus non injiciunt, eadem libertate amplificantes.

§. 4. Interdum Spiritui Sancto satis visum fuit, historiam ali-
qvam unius tantum virti Theopneusti stylo posteritati tradere, ac tot
cir-

circumstantias per solum illum adjungere, qvot & scripti Evangelii & posteritatis temporibus ad piam hominum informationem sufficere potuerunt.

§. 5. Hujus generis inter alia est, qvæ Lucas noster, qvi Pauli aliquando comes dilectissimus fuit, testantibus illud Actis, itemqve Epistolis ad Colossenses, Timotheum, & Philemonem à Paulo scriptis, idem confirmantibus, refert de probe monitis Christi discipulis, ut meditarentur amicos per Mamoram comparandos & in æternâ tabernacula comparantes suscepturos, cum contextu universo eodem pertinente.

§. 6. Qvod si verum est, uti verum esse qvilibet ex sola inspectione largiri haud dubitabit, verum etiam elucet, qvidqvad in hoc negocio difficultatis erit obvium, solo Luca viam monstrante tollendum esse, omni reliqvorum Evangelistarum auxilio, si qvam phrasin excipias, plâne desperato.

§. 7. Dum autem omnia superandæ difficultatis media in solo Luca qvarenda esse statuo, simul moneo, non excludenda propterea esse alia detegendæ veritatis adminicula, qvæ varia esse possunt & multa. Neqve etiam hoc volumus, Lucam hoc loco intra arcta unius dicti nostri pomeria concludendum, qvippe cui Antecedentia & Consequentia jungi omnino debent. Sed hoc tantum innuo, frustra illum labores subitum, qvi in reliqvorum Evangelistarum voluminibus aliqvad præsidii, quantum ad hanc de Amicis in æterna tabernacula suscipientibus, & discipulis Christi eos sibi conciliare jussis, attinet materiam, qvare re aut collocare velit.

§. 8. Prima igitur ejus, qvi sensum dicti Luc. XVI, 9. scrutatus est, cura erit, ut in ipsa verba ingviro, qva sequentia in textu originali sunt: Καὶ γὰρ ὑπὸ λέγοντος πειθαρέει τοῖς φίλοις ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῆς ἀδηλίας ἡμῶν, ὅταν ἐν λίπησι, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰώνιας σκηνάς. Addete poteram varias interpretum versiones, verumtamen, cum inqvirendæ veritati, cujus unius studiosus hic ero, textus sacer plane sufficiat, operæ qvidem & temporis parcendum hic esse, autumo, cum omnia ita sint, quantum ad phrasin literamqve specat, comparata, ut sensum, qvi Græcas literas doctus est, non incommodè percipiat. Hanc igitur addimus tantum verborum sententiam: Atque ego vobis dico: facite vobis ipsis amicos ex Mamona, iniqui-

iniquitatis, ut, quando carueritis, suscipiant vos in aeterna tabernacula. In iis autem, quae penitus hic examinanda videntur, deinde occupabimus: nunc in genere tantum notamus, nobis ex iis verbis doctrinam illam nasci, de Acq'virendis per Mamonam, qui in aeterna habitacula nos suscipiant, amicis.

APHORISMUS II.

*Quæstio hæc de faciendis per Mamonam injustitie amicis dependet
è vers. 1. Cap XVI.*

§. 1. **Q**ui Exegetæ munere rite fungi voler, laboris patiens ut sit, necesse est. Nihil debet fugere molestiæ, quod ad præfixum ubi finem obtainendum conferre aliquid, vel minimum etiam, videatur. Longa interduum opus habet per vestigatione, ut sensum hujus vel illius obscurioris commentis rite perquirat evolvatque. Non sufficit vocabulorum intelligentiam atque valorem vel percepisse vel ostendisse. Latius patent Exegetæ partes, nullibi non latissime se diffundentes. Enarrare debet atque explicare rerum etiam circumstantias quasvis, quæ cognosci, & vel tantillum claritatis afferre possunt, quo tempore & occasione, quibusque præsentibus, quoque affectu, & quem maxime in finem hæc vel illa res, quæ enarranda est, gesta fuerit? & quæ horum sunt similia.

2. 2. Idem usi etiam venit nobis de veriore moniti nostri sententia sollicitis. In eo quoque nuda cognitio ac notitia vocabulorum, ac juncturæ Grammaticalis non sufficit. Sunt sane in verborum illo positi, quæ, si sine retroditione ad præcedentia etiam remotione elegantur, silentii involucris testa, non possunt non omnem ferme rem obscuriore legenti relinquere. Requiritur inibi præcipue explicationem voces Kāyω & υπν, nec non monstrum illud Μαυράς τῆς ἀδινίας, terribile atque incognitum non paucis visum, & alia. Quæ certe necessariam aliunde lucem sibi scenerari cupiunt.

§. 3. Necessum igitur erit, ut de commodis ad lucem illam perveniendi adminiculis nobis prospiciamus, quæramusque, unde hæ circumstantiæ primitus patere nobis possint. Hæc vero adminicula præstabit, quem dixi, versus capituli hujus primus, quippe qui recte cognitus eujusdam quasi commentarii instar esse potest, ad illa clarissimis significanda, quæ versu 9. obscuriora esse innui, non quod solus ille ad hoc negocium sufficiat, sed quod ille verus viæ dux sit, cui, quæ

qua ratione ad sensus genuini certitudinem devenire queamus, facilium est monstrare.

§. 4. Qvod enim hic, in versu inquam i. Capitis XVI., subiectum loquens introducitur, illud istic in versu 9. sermonis filium continuat. Rursus pronomen ὁ πάντων istic v. 9. positum respicit hoc loco τὸς μαθητῶν. Et quis porro sit μαμωνᾶς τῆς αδικίας, omnium optimae cognoscitur ex verbis versu primo implicite contentis, explicite succedentibus: Ἀνθεωπός τις ἦν πλάστης, ὃς ἐγένετο οἰκονόμος. καὶ ἔτη διεβλήθη ἀπό τοῦ διασκορπίζοντος τὰ υπάρχοντα ἀντί. Tales nemp̄, necessum erit, ut μαμωνᾶς τῆς αδικίας opes ac divitias denotet, quales injusti dispensatoris fuerunt, qui heri sui facultates in justis modis ex parte suas fecerat. Non lubet ad plura hic attendere, ne justo loco quæ debentur, præripiantur. Id ergo manet, nisi versus i. lucem funderet, de genuino sensu versus noni difficillimam discussionem fore, quæ nunc ex collatione horum versuum mulcum negotii lectoribus remittit.

APHORISMUS III.

Versus primus capitis XVI. urget ulteriorem connexionem à precedente capite haud divellendam.

§. 1. Duximus in superioribus ad Aphorismum II., Exegetæ non in uno vel altero scripturæ versiculo hærendum ac subständum esse, qvodque ad dicti discutiendi sententiam attinet, ad versum primum cap. nostri XVI. esse recurrendum. Est sanè non levius momenti hic recursus, sed nec ille tamen sufficit: ulterius retrogradendum, ut clarius omnis evadat tum oratio, tum ejusdem ratio.

§. 2. Qvis enim est, qui, dum versum Capitis XVI. primum poulderat, & hæc verba legit: Ἐλέγε δὲ καὶ πρὸς τὸς μαθητῶν ἀντί, statim non pervideat, non esse hoc primum enarrationis exordium, sed ipsum hunc versum primum arcte cum praecedenti Capite XV. cohærere? Urgent profecto istam συνέχειαν tum voces Ἐλέγε & αὐτῷ, quæ in antecedentibus ostendunt quærendam esse personam loquentem; tum satis graviter duæ adjunctæ particulæ, adversativa altera δὲ, altera copulativa καὶ, quas oiciose positas nemo affirmabit. Hoc autem est, qvod illæ volunt: Quæ praecedenti capite XV. Christus ad Scribas & Phariseos longa oratione verba fecerit, finem nunc habere: quæ vero nunc subjungantur, licet diversi sint argumenti,

menti, eundem tamen Christum locutum esse; verum non iisdem, quos ante auditores, sive objecta potius sermonis sui esse voluerat atque habuerat, Scribis & Phariseis, sed discipulis, qui ipsum doctrinæ gratia secuti fuerant, atque ita nunc etiam doctrinæ partem sibi accommodatiorem audire debabant.

§. 3. Ex quibus liiquidum, credo, apparuit, caput XVI. in integritate sua sumrum, ab anteriori parte integrum contextum nondum sistere, quippe qui caput antegressum, idque totum ac propter continuum unius sermonis connexionem plane non dirumpendum sibi vindicat. Quid? quod ne huic quidem capiti XV. totum se includi contextus patiatur, sed insignem etiam capituli XIV. partem ambitu suo complectatur, eamque sibi individualiter nexus jungi postulet. Hinc sequens subjungatur

APHORISMUS IV.

Integrum negocium originem habet Luc. XIV. 25. & finitur in versu 10.

Cap. XVII.

§. 1. Ad ostendendum contextus scopum satis videri potuerat, caput XV. cum XVI. conjunxisse: attamen ad percipientium melius ac planius, qui per discipulos Christi versu primo Cap. XVI. pressæ sint capiendi, necessum duce perpetua συναφίας ratione duximus, ut versus citatus 25. capituli XIV. in consilium advocetur, ac terminus à quo hujus materiae constitueretur.

§. 2. Est autem hunc versum 25. Cap. XIV. terminum primum, unde doctrina haec initium suum capiat, inde manifestum est, quia cum præcedentibus nulla connexione copulatur. Quæ enim toto illo capite prægressa explicantur ab Evangelista, universa in ædibus præcipi cujusdam inter Phariseos viri gesta ac dicta fuerant, teste versu hujus capituli primo. Quæ domus Pharisæa si vel ampla satis capaxque hominum fuerit, attamen tantam turbæ multitudinem capere non potuit, quanta hic Christum secuta supponenda est, quantamque versus noster 25. ipse non obscure innuit. Ut taceam, ipsum divinum Spiritum per Evangelistam utriusque, præcedentis nempe & subleqvantis, materiae separationem facere, clarisqve indiciis significare, quæ sequantur, alio tempore, alio situ, alio loco gesta, ad aliud etiam argumentum spectare, dum dicit: Συνεπορέυοντο δὲ αὐτῷ ἔχοι πόλλοι.

B

§. 3. In-



§. 3. Integrum igitur nostram materiam originem debere suam dicti Capitis verbi nominato, hoc pacto planum efficitur. Postquam Lucas convivium Pharisæi illius principis, & quæ in eo à Servatore pariter & convivis reliquis dicta ac facta fuerant, retulisset, subiungit deinceps, quæ post idem convivium porro gesta sint. Nimirum finitis epulis, vel statim post egressionem è domo, vel quodam sive ampliore sive breviore temporis spatio post eandem, Dominum nostrum profectionem aliquam fecisse, eaque cognita aut visa contingisse, ut ingens hominum multitudo ambulanti Christo sese associaverit, discipulorum sibi sine dubio & nomen querens, & promtitudinem vendicans, sicut ex divino JESU dogmate colligi potest: ad quam ergo conversus Servator optimus gravi oratione explicuerit, requisita ejus, qui μαθητής, discipulus suus audire & vere esse velit. Qualia illo pro tempore duo maxime constituit, spontaneam scilicet ob nominis sui amorem, & parentis utriusvis, & uxoris & liborum, & fratrum, & sororum, & omnino vita etiam propriæ abdicationem, odii nomine significatam, talemque, ut, si res ac necessitas postulet, illi omnes Christi retinendi, confitendi, docendi, defendendi causa omitti, amitti, relinquiri possint, versu 26; ac deinde alacrem ad omnis generis in vita hac mortali mala, supplicia, martyria Christi ergo suscipienda promtitudinem, versu 27. sumto nimirum vocabulo ταύρων pro quo cuncte calamitatum & adversitatum generare. Quidquid enim phrasi illa de incessu pone Christum dicitur, imitationem ipsius, sicut & in abdicatione bonorum, ita maxime in susceptione malorum tractandi Evangelii causa instituendam significat, atque ita duo ista, præsertim autem posterius, complectitur, non tamen excluso propiore etiam incessu physico, quantum ad instructionis occasionem requiri videbatur.

§. 4. Illa ipsa deinde uberioris à Sapientiae Magistro iis explicantur, & similibus egregiis illustrantur, tandemque munijuntur admonitione ad constantiam sub iconè salis & apophthegmate perelegante in ipso Capitis fine comprehensa. Neque vero in isto termino materia ista omnis clauditur, sed sermo JESU nunc incipit ex ardescere, postquam sibi videt ansam loqvendi per accessum peccatorum, & Pharisaorum mumur exhiberi. Ergo nunc dispiciendum est, quo patto capita XIV. & XV. inter se se connectantur.

§. 5. Vi-

§. 5. Videlicet, postquam Evangelista versu 25. explicit, ian-
gentem hominum numerum ad Christum sese applicuisse, quibus il-
le deinde rei, quam ordinentur, gravitatem ac difficultatem ostendit,
docet porro adhibita particula δε nihilominus quosdam fuisse,
qui divina gratia adjutos sese omnem molestiam propter Christum
tolerandam superaturos crediderint, atque adeo ad Christum pro-
pius accesserint, eique constantius adhaerent. Sic enim ait: οὐδὲ
ἐγγίζοντες, quasi diceret: Erant autem omni metu superato, qui ac-
cederent, nec in communī illa, de qua dixi, multitudine subsistere
volebant, sed propius propiusque Oratorem adirent, ut certo inde-
pateret, suam ipsius salutem curae cordique esse. Quin imo hos ipsos
ex turba illa prudeentes, & proximiū adrepentes fuisse maxime
πάθοις, qui tunc præsentes in illo comitatu erant, τός τε λάθας καὶ
μαζλαθες, qui deinde causa per accidens exsisterint cavillationum
& calumniarum Pharisæis, ferme in aliorum ignominiam suas virtu-
tes prædicantibus, communium, quibus id hominum genus Chri-
stum etiam partim apud alios, partim inter sese magis magisque invi-
diosum reddere conabatur. Observatis igitur his in aprico positum
est, Lucam non à c. XV. prima initia capessere, sed eadem, quantum
ad nostrum scopum attinet, ex c. XIV. 25. derivanda, atque ibi ve-
rum hujus sermonis primordium quærendum esse. Cui deinceps c.
XV. immediato temporis nexu cohæret.

§. 6. Qvod dum pro necessitate paucissimis monui, id eo ne-
gocio effecisse mihi videor, ut hac ratione utriusque capitis conne-
xionem ac affinitatem nunc certius non tantum simus condotti, nec
in eam sententiam amplius venire possimus, novam plane materiam
cum cap. XV. initijs aperiri: sed etiam ut eodem labore præsentia-
mus, à Cap. illius XIV. v. 25. dependere reliqua omnia, quæ capite
XV. XVI. & XVII. longam quandam Christi orationem nobis si-
stunt, ita tamen, ut sermo ejus ad illum temporis & rerum gestarum
ordinem pertinens in c. XVII. v. 10. tandem finiatur.

§. 7. Quamquam enim, quæ c. XVII. à v. 1. ad 10. frustulatim
dicta recensentur, si quis ita velit, diverso tempore contingere potue-
rint, nec in promtu nobis esse queat sufficiens demonstratio, præci-
pue in refacti, qvod illa cum præcedenti Capite necessario sint con-
jungenda: tamen pro lege παιδίας sufficiet nobis hæc probatio,

quod Lucas nullam distinctioni temporis ac loci inservit, ut et circumstantiam adjungat; tenerarium ergo fore, si nos distinctionem ejusmodi fingere, atque in textum inferre velimus. Nostrum non est, distingvere ea, quae a Sanctis autoribus connexa sunt, nisi ipsi indubitatum posueriat signum, è quo distingyendas esse materias legitime colligatur. Ergo nos Lucæ adhæremus, & cohædere primos decem versus è c. 27. cum antecedentibus confidenter omnino existimamus, in primis cum v. 2. voces: ἐν τῷ μικρῷ τόπῳ, nos confirmemus.

§. 8. Finem autem in v. 10. propterea colloco, quoniam è c. XIV. 25. sine ullo dubitationis fundamento clare percipimus, omnia, quæ sequntur, quodam in itinere facta esse, testante id voce prima: συνεπορέουσθο: ubi sanctissimus Noster Dominus tantum ex procedendi alacritate sibi demere voluit, quantum ad alacritatem informandi præsentis populi, qui ὥχλοι πολλοι erant, reqviri videbatur. Continuavit igitur sermonem illum, usqve dum suo nunc etiam scopo satis se fecisse ipse nosset, meliora edocens tum omni populo, tum Pharisæis & Scribis, tum recentioribus discipulis. His igitur laboribus defunctus occasionem sumvit privatus (id enim moris habebat Dominus) informandi eos discipulos, qui semotis pluribus arbitris diutius adhædere sverant: idque hic etiam fecisse videtur, postquam non tantum in genere v. 1. εἰπε πρὸς τὸν μαθητὰς, sed & v. 5. privatissime loquentibus sibi Apostolis v. 6. & sqq. privatissime respondit. Quid ubi fecit, nunc plane nova contigisse memorantur: non amplius populi causa quiete, non amplius docet eum atque instituit, sed à docendo plane abstinet: novum iter, nova loca, nova gesta scribuntur, ad ea, quæ præcesserant, sermonum genera immediate non pertinentia: unde sic Lucas c. XVII, II. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ποταμῷ οὐδὲν εἰς ἵζεσταλην &c: quæ sola verba alteram nostri aphorismi partem ita probant, ut plura addi, foret soli lucem affundi. Ergo nos progredimur ad

APHORISMUM V.

Argumentum universale omnis orationis Christi à v. 25. C. XIV. ac porro à vers. 1. Cap. XV. ad 10. vers. Cap. XVII. hoc est: Neminem esse à regno Christi ascendendum, qui vere intrare cupiat, sed docendum, omniaq; poni qd; ad ipsos: quomodo intrare debeat.

S. I. Vo-

§. 1. **V**oco illud argumentum Universale , quatenus nimirum ad o-
mnem istam materiam fit respectus , qvæ ibi pertractatur . A-
lias negandum non est , si singulas partes aut membra orationis Chri-
sti spectes , multiplex in specie oriri argumentum , prout id ipsum
postea elucebit .

§. 2. **D**um autem argumentum illius orationis constituimus
hoc : Neminem à regno Christi esse excludendum , qui vere intrare
cupiat ; sed docendum , qvomodo intrare debeat , generaliorem ipsi-
us materiæ divisionem innuimus . Postquam enim historice vidiimus ,
qvomodo Christus ipse neminem excluderit , sed , qvomodo ad se-
qvelam sui omnes præparari debeat , ostenderit , nunc idem etiam
in parabolis diversam occasionem nactus porro proponit : qva in re
duplex divisionis membrum , de nemine excludendo , & de omnibus
recte instruendis , qvomodo introduci queant , oriri cernitur . Ad
prius divisionis membrum refertur totum caput XV. ; ad alterum ve-
ro XVI. una cum iis , qvæ ex XVII. hoc pertinent .

§. 3. Cæterum argumenti hujus veritatem breviter ita ex omni
contextu eruitus . Nactus fuit doctor & propheta sanctissimus , qui
ipsum sequi & inter ejus discipulos referri cupiverunt , versu 25. cap.
XIV. Hos instruxerat in requisitis generalioribus Christianismi , &
præcipue quidem tum temporis reqvirendis , omnium nempe qvæ
possideas ; libera abdicatione , & spontanea omnium adversatum
tolerantia , vers. 26. 27. ad finem capituli , sicut id vidiimus sub Apho-
rismo IV. Qvam utramqve cum nonnulli ex freqventi auditoriū
Christi turba Publicani & peccatores profiteri ac suscipere ob no-
men Christi per Spiritus S. instinctum & motum velle ac posse sibi vi-
derentur , Servatori familiarius fese novellos discipulos , sicut olim
Matthæus , pluresqve alii fecerant , tradiderunt , ulteriore magi-
stri institutionem expertentes . Qvos ut Christus arctiore sui usu non
prohibuit , Pharisei & legisperiti id forte videntes , vel intenti poti-
us ad scrutandam Christi lenitatem , more suo murmurarunt , Chri-
stosqve factum exprobrarunt . Hos igitur ut refellat Christus , triplici
utitur ad hanc rem parabola , qvarum singularum singuli exitus id
docent , gaudendum , non dolendum esse , si qva res amissa ac deper-
dita , perdita non maneat , sed aliquando , licet serius , recuperetur .
Qvibus mea quidem sententia nemini obscurum esse potest , à Chri-

sto

sto satis aperte inculcari, Neminem à regno suo excludendum ar-
cendumve esse, licet Ecclesia DEI is excesserit, ejectus fuerit, excus-
sus diu manserit.

S. 4. Hæc quidem illo capite Christus ita pro excludendo ne-
mine disputarat; alteram argumenti partem de instituendis omni-
bus, quomodo introire debeant, perseqvitur in reliquis. Ostendit e-
nim statim parabola prima modum, qualem ingredi debeant, justi
nimirum & suum cuique tribuentes, non avari aut injusti faculta-
tum inique quæsitarum detentores, sed liberales & aliorum inopiam
sublevantes, præcipueque eorum, qui ad Ecclesiæ augmenta qvid-
quam conferre possunt; à versu 1. ad 14. capituli XVI. Postea respon-
det avarorum, tunc scilicet præsentium, Pharisæorum mysteriosis
& sublationibus, putantium, non reqvirat intrandum regnum
Messia vel cœlorum, ut quis vagæ habendi cupiditati dicat Vale, o-
ptimeque secum stare posse, hæredem esse regni DEI, & possessorem
tamen esse opum avare & iniqvoribus quibusvis modis antea com-
paratarum, à versu 14. ad finem capituli: in quibus hoc simul docet,
non nisi per doctrinam Mosis & Prophetarum, qui ipsi usque ad Jo-
hannem de regno cœlorum per Christum instaurando vaticinati fue-
rint, & in hoc vaticinio ab ipsis Pharisæis temere negligantur, acces-
sum ullum parari, nec DEO placere, ut per missos ē cœlis beatos,
aut ullo alio modo homines ad regnum DEI sine Mosis & Pro-
phetis vocentur. Ipsa enim illa quoque, quæ versu 15. & seqventibus
ad 19. inseruntur, ad hanc argumenti generalioris partem omnino
referenda videntur ex contrario, quare sc. Pharisæi, licet intrasse si-
bi videantur, intrare haud tamen queant, cum ipsi Mosis & Proph-
etarum, Johannis item & omnium nunc evangelizantium sint con-
temtores, sive illa Christus dicenda deliberato sibi jam antea reser-
varit, sive stolidi Pharisæorum de sanctitate sua persuasio noviter
eadem elicuerit. Capite XVII. 1. & seqq. Christus discipulos suos e-
docet, quomodo sese gerere porro debeant, qui in regnum Christi
recepti sint, erga alias recipiendos, & præsertim in evitandis scan-
dalibus, in remittendis aliorum delictis, & humilitate erga DEUM e-
xcedenda, &c.

APHO-



APHORISMUS VI.

Argumentum illud orationis Christi universale, quod Aphorismo precedente explicuimus, distinctus Christi sermonibus constat.

§. 1. Sermones tales Christi conciosores five partes numerantur, quinque. Eorum primus est ad congregatam hominum multitudinem cap. XIV. 25. & seqq., de quo dictum §. 3. Aph. IV. Alter recitatus est ad Scribas & Phariseos murmurantes, integro capite XV. Tertius ad discipulos recens acquisitos habitus, qui pars fuerant dictae antea multitudinis. Is limites agnoscit utriusque termini versum 1. & 14. Quartus iterum ad Phariseos pertinens porrigitur à versu 15. ad finem capituli XVI. Quintus denique ad discipulos in genere pertinentis initium sumit versu 1. desinitque 10. capituli XVII.

§. 2. Orationem Christi diversos distinctosque habere sermones, patet ex diversitate ac vicissitudine objectorum personalium, quæ sunt (1.) Ὄχλοι πολλοί, χριστῷ συμπορεύμενοι, cap. XIV. 25. (2.) Διαγογύγζοντες οἱ Φαρισαῖοι, cap. XV. 2. & 3. (3.) οἱ χριστὶ μαθηταί, (cap. XV. 1. τελῶνες καὶ αἰτοῦσι vocati,) cap. XVI. 1. (4.) Φαρισαῖοι χριστὸν ἐκκαθηγοῦσι, cap. XVI. 14. & 15., & (5.) denique Christi οἱ μαθηταί in genere, in quibus fuere οἱ άπόστολοι, qui ulteriori informationi aniam fecerunt. Quæ objecta personalia quæties alternant, toties Evangelista interserit vocem εἶπε, vel ἔλεγε. Cæterum prolixiorēm hujus Aphorismi explicationem dabunt Aphorismi sequentes. Quare statim pergimus ad eosdem, & nominatum ad

APHORISMUM VII.

Primus Christi sermo duo ponit requisita seu officia verorum & non factorum Christi discipulorum, spontaneam omnium, que ad ipsos pertinent, abdicationem, & promtam crucis tolerantiam, juncta ad constantiam cohortatione.

§. 1. Non opus erit, pluribus hic repeterem, quæ Aphor. IV. §. 1. 2. & 3. diximus, ubi relegi licet, quæ de duobus his requisitis post ostensa sermonis divini initia ē c. XIV. v. 26. & 27. monita sunt. Tantum probandi aphorismi causa urgebo pro spontanea rerum propriarum abdicatione ē v. 26. vocem μισθῶν, quæ significat h. I. minus amare: ita amare, ut lubenter, si opus sit, deseras: amore intensiore se exuere: & pro tolerantia ē v. 27. voces βασιλέων τῶν

σαυρὸν ἀντί, i. e. lubenter suscipere tantum calamitatis propter Christum, quantum DEUS suscipi velit. Sunt autem hæc requisita talia, ut sine iis plane non concessa sit inhabitatio regni cœlorum, unde Filius DEI sic ait: Εἰ τις ἔρχεται πρός με, καὶ βοσκεῖ τὸν — δινοῦται μαθητὴν εἶναι, καὶ διετέλεσθαι τὸν Κατάλεγον τὸν σαυρὸν ἀντί, καὶ ἔρχεται ὀπίσω με, καὶ δύναται με εἶναι μαθητὴν. Sunt igitur illa requisita universalia, sed cum ipsa fide, & è fide tamen nascentia, eaque talia, ut si non ad sint, fides vera, quæ sola Christi discipulos veros facit, adesse non sit censenda. In iis vero pervestigandis cum ipso Christo paulo prolixiorem esse bona Lectorum venia licebit.

§. 2. Quæcumque enim porro sequuntur, ad horum requisitorum illustrationem adhibentur. Fit autem illustratio illa duobus similibus, ac desumto quidem altero ab homine ædificationem, altero à rege vel monarca bellum suscepturo. De priori Servatoris verba ita habentur: Τίς γὰς ἐξ ὑμῶν, Θέλων πύργου ὄικοδομῆσαι, καὶ πρέπει ταῦτας ψυχές εἰ τὴν δαπάνην, εἰ ἔχει τὰ πρός αἴπαθλον; &c., in quibus & connexis hæc claritatis causa observanda sunt. Οἱ θέλων πύργου ὄικοδομῆσαι, neque tamen πράτον ψυχές εἰ τὴν δαπάνην, respondet cuilibet ex hac hominum Christo tunc adhærentium & itineris sociorum multitudine, qui sufficienti nondum prægressa rei deliberatione, quid in discipulo Christi requiratur, &c., utrum in cepto permanere possit velitque, an secus, rem tamen hanc maxime arduam temere suscipere videbantur. Οἱ θέλοντες πύργυ θεμέλιον, καὶ μὴ ισχύων ἐκβελέσαι, eos denotat, qui Christum ad tempus sequi & profiteri coepérunt, postea vero conspecta perceptaque rei difficultate rursus ab eodem resilunt. Οἱ ἐμπάτιοντες τοῖς ἀρχαῖον ὄικοδομεῖν, καὶ μὴ δυναμένοις ἐκβελέσαι, erant tum maxime Iudæi, Pharisæi, Scribæ, aliquæ maligni, asseclis Christi, ad tempus credentibus, Christum laudantibus, Christumque deinceps ob infelicem visum pro isto tempore rerum successum deserentibus insultantes atque illudentes.

§. 3. Cæterum per vocabulum πύργον, quod in versu 28. est, ex significatione magis propria & usitatiore intelligi potest excelsum istud ædificiorum genus, quod ad variarum pyramidum instar in aciem cuspidatam definit, Latinisque turrium nomine proprie appellatur; qualia ædificia ab hominibus privatis ditionibus suscitari potuerunt,

tunt, sive in commodum & præsidium publicum, per muros ac portas disponenda, vel ad limites ditionum, specularum loco locanda, sive in tutelam interdum divitiarum & ornamentum privatum. Vel etiam non sane incommodo explicari πύζαρος poterit per quæcumque ædificia editiora, palatia, turritasve domos, ut pluribus, qui tunc præsentes erant, tanto facilius convenire queat ex sermone Christi: τίς ἔξ οὐ μῶν &c.

¶ 6. §. 4. In altera similitudine ὁ βασιλεὺς πορευόμενος συνβάλλει ἐτέρῳ βασιλεῖ εἰς πόλεμον καὶ μὴ περιττὸν βαλευόμενος, εἰ δύνατός εστιν δέκα χιλιάδων απαγγηλούτων εἰκότι χιλιάδων εἴχομένων επ' αὐτὸν, iterum referendum est ad novos hos Christi alleclas, qui nondum satis certi erant, utrum tanta sua esset in Christo posita fiducia, ut ipsius adjuti auxilio Judeis furentibus & majoribus instructis, quantum extrinsecus parebat, viribus, obviam ire ac resistere possent, & nihilominus tantum negocium deripente & quasi per accusum attentabant.

§. 5. Quibus ita positis Christi verba tales nanciscuntur explanationem: Non puto, auditores carissimi, quendam esse inter vos, qui, si ædificium aliquod insigne, amplum, altum, sive publicum, sive privatum excitandi animum habeat, ante susceptum opus in consilium secum non descendat, & faciendorum sumtuum magnitudine per vestigata ac per calculorum compendium elicita in facultates suas non inquirat, priusquam ipsum opus aggrediatur. Quibus pro rei amplitudine non sufficiens, iusto tempore id congruum est, à proposito ut desistat, ne opus sit sinistra hominum judicia incurtere, ridentium & exsibilantium ædificantis imprudentiam simul & superbiam cum egestate conjunctam. Nec puto regem quenquam ita stolidum ac tardum animo esse, ut solis decem armatorum millibus instrutus, hosti viginti millibus gaudenti occurrat, neque ante exploret virtutem militum, num tanta etiam illa sit, ut hosti, duplo numerosiori, resistere interrita velit aut possit? Quid si tamen vel inter vos, vel inter hujus mundi reges inveniatur, qui hæc non perpendat, annon ille vestro etiam omnium judicio erit imprudentissimus vocandus ac stolidissimus? Quid de vobis judicaturi sint alii, nisi judicare, qui temere partim vos meis interseritis, parum aut ni-

σανχρὸν ἀνῆρ, i. e. libenter suscipere tantum calamitatis propter Christum, quantum DEUS suscipi velit. Sunt autem hæc requisita talia, ut sine iis plane non concessa sit inhabitatio regni cœlorum, unde Filius DEI sic ait: Εἰ τις ἔχεται πέρος με, καὶ μισεῖ τὸν — ὁ δύναται με μαθῆτης εἶναι, καὶ δέ τις ἐπασάγει τὸν σαυτὸν ἀνῆρ, καὶ ἔχεται ὀπίσω με, ὁ δύναται με εἶναι μαθῆτης. Sunt igitur illa requisita universalia, sed cum ipsa fide, & è fide tamen nascentia, eaque talia, ut si non ad sint, fides vera, quæ sola Christi discipulos veros facit, adesse non sit censenda. In iis vero pervestigandis cum ipso Christo paulo prolixiorē esse bona Lectorum venia licebit.

S. 2. Quæcumque enim porro seqvuntur, ad horum requisitorum illustrationem adhibentur. Fit autem illustratio illa duobus similibus, ac desumto quidem altero ab homine ædificationem, altero à rege vel monarca bellum suscepturo. De priori Servatoris verba ita habentur: Τίς γὰρ ἔξι νῦν, Θέλων πύργον ὀικοδομῆσαι, καὶ περῶτον καθίσας ψηφίζει τὴν δαπάνην, εἰ ἔχει τὰ πέρος ἀπαρτίσματα; &c., in quibus & connexis hæc claritatis causa observanda sunt. Οἱ θέλων πύργον ὀικοδομῆσαι, neque tamen περῶτον ψηφίζων τὴν δαπάνην, respondet cuiilibet ex hac hominum Christo tunc adhærentium & itineris sociorum multitudine, qui sufficienti nondum prægressa rei deliberatione, quid in discipulo Christi requiratur, &c., utrum in coepio permanere possit velitque, an secus, rem tamen hanc maxime arduam temere suscipere videbantur. Οἱ θεις τῷ πύργῳ θεμέλιον, καὶ μὴ ιχύων ἐκτελέσσαι, eos denotat, qui Christum ad tempus seqvi & profiteri coeperunt, postea vero conspecta perceptaque rei difficultate rursus ab eodem resiliunt. Οἱ εὐπαρδόντες τοῖς ἀξεμένοις ὀικοδομεῖν, καὶ μὴ δυναμένοις ἐκτελέσσαι, erant tum maxime Iudei, Pharisæi, Scribæ, aliique maligni, asseclis Christi, ad tempus credentibus, Christum laudantibus, Christumque deinceps ob infelicem visum pro isto tempore rerum successum deserentibus insulantes atque illudentes.

S. 3. Cæterum per vocabulum πύργον, quod in versu 28. est, ex significatione magis propria & usitatiore intelligi potest excelsum istud ædificiorum genus, quod ad variarum pyramidum instar in aciem cuspidatam definit, Latinisque turrium nomine proprie appellatur; qualia ædificia ab hominibus privatis ditoribus suscitari potuerunt,

tunt, sive in commodum & præsidium publicum, per muros ac portas disponenda, vel ad limites ditionum, specularum loco locanda, sive in tutelam interdum divitiarum & ornamentum privatum. Vei etiam non sane incommodè explicari πύγαρος poterit per quæcumque ædificia editiora, palatia, turritasve domos, ut pluribus, qui tunc præsentes erant, tanto facilius convenire queat ex sermone Christi: τις ἐξ ὑμῶν &c.

¶. 4. In altera similitudine ὁ Βασιλεὺς πορεύεται συνβαλλέτων βασιλεῖς πελάσμοι καὶ μὴ πρῶτον βαλεύεται, εἰδυλλός ἐστι ἐν δίκαιᾳ χιλιάστῳ ἀπαντήσαται τῷ ἔποι τοιχίσαδων ἐρχομένῳ ἐπὶ αὐτὸν, iterum referendū est ad novos hos Christi alleclas, qui nondum satis certi erant, utrum tanta sua esset in Christo posita fiducia, ut ipius adjuti auxilio Judæis furentibus & majoribus instructis, quantum extrinsecus patebat, viribus, obviam ire ac resistere possent, & nihilominus tantum negocium derepente & quasi per accursum attentabant.

¶. 5. Qvibus ita positis Christi verba telem nanciscuntur explicationem: Non puto, auditores carissimi, qvenda n̄ esse inter vos, qui, si ædificium aliquod insigne, amplum, altum, sive publicum, sive privatum excitandi animum habeat, ante susceptum opus in consilium secum non descendat, & faciendorum sumtuum magnitudine pervestigata ac per calculorum compendium elicita in facultates suas non inquirat, priusquam ipsum opus aggrediatur. Qvibus pro rei amplitudine non sufficiens, justo tempore id congruum est, à proposito ut desistat, ne opus sit sinistra hominum judicij incurare, ridentium & exsibilantium ædificantis imprudentiam simul & superbiam cum egestate conjunctam. Nec puto regem qvenquam ita stolidum ac tardum animo esse, ut solis decem armatorum millibus instrutus, hosti viginti millibus gaudenti occurrat, neque antea exploret virtutem militum, num tanta etiam illa sit, ut hosti, duplo numerosiori, resistere interrita velit aut possit? Quid de vobis judicaturi sint alii, ipsi judecate, qui temere partim vos meis interficitis, parum aut ni-

hil cogitantes , qvantas difficultates secum veahat, discipulum se mihi atqve affeclam adjungere.

§. 6. Hinc porro sponte flunt, qvæ seqvuntur versu 33. "Owtos ðv, ad eundem igitur modum , qvemadmodum nempe sine antegressa sufficienti deliberatione nemo vel adificationem vel bellum suscipere debet, siqvadem eadem rite exseqvi velit; ad eundem, inquam, modum nemo ex vobis, qui non satis considerate crucem meditans secum deliberaverit, quo pacto renunciare velit suis omnibus , discipulus meus vere esse potest.

§. 7. Nec minus prona hac propendent, qvæ versus subsequentes 34. & 35. suppeditant, in qvibus ῥὸ ἀλας ex sententia plurimorum verum Sal, qvod condimenti genus est optimum, maximeqve necessarium; ex mente autem Cl. DN. Hardtii Prof. Julii P., Praeceptoris mihi desideratissimi, specialius sal Sodomiticum denotat; qvod, uti refert, nihil aliud fuit, quam bituminis aliquod genus, qvod ob qvandam saluginem commune salis nomen sustinuit. Qvod bitumen cum ad conglutinandas constringendasqve arte res adhibitum sit, per Metaphoram h. l. amorem atqve unionem dicit. Ut sensus verborum ille sit: Optima sane res ἀλας , sive amor , est. Constringit ille artissime hominum mentes, diversum ante sentientium, ut in unum qvasi coalescant. Qvod si vero istud sal, sive bitumen infatuum fuerit, viresqve combinandi & colligandi amiserit, ἐν τίνι ἀργυρῷ στέλλεται, qvibus rebus constringendis adhiberi amplius poterit? Ita si amor ille vester, qvem pro tempore in mettam servidum præferitis, cessaverit, quam utilitatem ille vobis aliisve præstare poterit? Nullam profecto. Neqve enim pro amore recte ordinato à me reputabitur, qui vel in amati negligentiam, vel in ejusdem odium convertitur, sed fatius & πρέσπονται fuisse apparebit. Et sicut ἀλας i-stud, si constringendi virtutem amiserit, neqve in sterquilinium neqve in terram uiliter projicitur, atqve ita neqve immediate neqve mediate stercorandis agris conductus, sed projiciendum erit foras, qvorsum vagæ quisqvilia & domorum purgamenta pertinent: Ita si amor ille vester, quo me nunc proseqvimi, deficientibus vestrorum blanditiis & ingruentibus calamitatibus deficiat, nullum ille apparende Ecclesia fructum vel utilitatem præstabit, sed abjecetur vobis-

vobis cum ipsis in paludem sulphuris & stagaum ignis, hoc est, ablegabitur ad ignes infernales. Qui habet aures ad audiendum, audit! hoc est: Quilibet inter vos illa, quæ locutus sum, maxima adhibita solicitudine sibi dicta esse putet, perpendatque, rem non esse nullius momenti, quam sequendo me coepit. Satis enim erit, numquam mihi adhaesisse, satis nondum cognito, quam Magistrum sufficien- tissime notum ac doctorem olim derelinqueret.

§. 8. Ex mente autem plurimorum aliorum hæc foret applicatio seu expositio: Res quidem optima est sal, quippe quod aliis rebus condendi, purificandi, præservandi, conservandi est peraptum: quod tamen si infatuabitur, si quando virtutem suam omittet, quan- nam in re, quoniam in condimento conservanda humanae vitæ ali- menta continentur? Sive enim per experientiam interdum sal fatuum esse deprehendatur, (quod fieri possit, qui parando & applicando sali præfunt, non paucis sœpe querelis testificantur) sive, quod alii volunt, per impossibile sic loquuntur Christus, id perinde est. Cer- tum id manet, si fatuum fuerit, neque terræ id profuturum, neque sterquilinio commodum esse, cum certum illud potius sit sterilitatis signum, sed projiciendum esse foras. Ergo & vos, qui discipuli mei esse nunc cupitis, credite, vos quoque sal terra aliquando fore, si requiritis his in actu positis me secuturi estis: terram seu homines perficabitis, præservabitis, conservabitis, sapidosque ac sapientes in sermone, atque opere suo reddetis. Ipsi autem vos si quando re- troire, & virtutem discipulorum hanc omittere volueritis, quid of- fertis, in quo Ecclesia mihi quædam ex putredine vitorum & arieti- as colligi, præservari conservarique queat, eum ea per homines, non per Angelos sit colligenda? Quo mihi tales discipulos, per quos desertores factos alii etiam à me abstrahentur, numquam adducen- tur. Cum igitur mihi ad colligendos, aut amplificandos ecclesiæ fructus nihil conferre deinceps possint, ejicientur in ignominiosissi- mum me judice locum, ut luant suæ desertonis penas. Optio sit pe- nes lectorem.

§. 9. Nobis hoc sufficit ostendisse, Christum novellis suis di- scipulis, doctrinam fidemque ipsius anhelantibus, proposuisse, quid ipsis meditari prius deceat, quam sese velut discipuli sequantur: §.
qvidem

quidem totum Christi laborem à versu 26. ad finem capit is in eo occupari pater, ut discipulis vel auditoribus noviter adhærentibus partim requisita & officia boni discipuli explicit, partim vero eosdem ad consilii constantiam ac pertinaciam cohortetur. A qua si rursum se abduci deinceps passuri sint, autor Christus est, ut cito nunc potius abeant, nec judicia DEI adversum sese agravent. Ita quidem vidimus, quomodo materia à versu vigesimo quinto ad finem capit is XIV. cohærent, quidque illo spatio traditum à Christo sit: nunc transeundum est ad sequentia.

APHORISMUS VIII.

Argumentum & summa sermonis Christi secundi est: Publicani & peccatores ad meliorem frugem sese recipientes non sunt excludendi a regno DEI, & sanctorum condiscipulatu.

§. 1. Absolvitur hic sermo Christi specialis tribus parabolis sive similitudinibus, quas, ut Aphorismo sua constet claritas, ordine videbimus atque examinabimus. Et primo quidem loco considerandam sese offert prima, quae est de ove perdita ac recuperata. Cujus uti & reliquarum proferendarum occasionem dederunt Pharisæi & Scribæ, ob familiaritatem Christo cum telonis & peccatori bus intercedentem, dolentes ac murmurantes.

§. 2. Accesserant nempe ad Christum nunc paulo propius omnes publicani & peccatores insigniores, qui (ut opus non sit finire, omnes ex omnibus Judæorum regionibus telonas & peccatores eadem hora apud Christum sese congregasse) capite præcedente, reliqua audientium catervæ immixti aliquo jam nunc tempore secuti eum fuerant, audiverantque sese erudiantem: & propius accesserant hac unica de causa, ut eidem porro verba facturo auscultarent, cap. XV. 1.

§. 3. Hanc in conservando familiaritatem ac gratiam implacatissime ferebant, atque admodum graviter dolebant inter Judæos præcipui & sanctiores, Pharisæi ac Scribæ, existimantes, minime id convenire cum illius nomine ac sanctitate, Messiam se venditare, & tamen familiariter sese jungere peccatoribus & publicanis, & ad discipulatum admittere homines, quos ne abjectissimus quidem quisque inter Judæos tam amicæ conversationis honore dignos crederet,

ret, atque suum in consortium admitteret. Hinc murmurantes ita loquebantur: Οὐαὶ, qui Messiam fecerit, Iudeorum liberatorem & sanctum Domini profiteretur, αἱμαζωλὸς προσδέχεται, καὶ συνεδίει ἀπότομος, hoc est, epulatur cum iis, & hilarem se facit. Quis quare, cogitant, quis judicabit, hominem ea, quae vera sunt, docere? Quid si enim vere Messias esset, sanctis se associaret, eorumque consuetudine delectaretur, peccatorum & publicanorum consortio pulso atque repudiato, versu 2.

S. 4. Illa sunt, quibus Christo ansam ministravunt Pharisæi eorumque socii, ut verbis causam suam & novellorum discipulorum probaret, iniquasque illas queritationes & incusationes labefactaret, eademque a se amoliretur. Hinc locutus illis est, dicente Evangelista versu 3., τὴν παραβολὴν ταῦτην, hanc parabolam, h. e. integrum hunc sermonem parabolicum vel allegoricum, non unam aliquam similitudinem, quippe quæ, si supputatio fiat, non una, sed plures sunt.

S. 5. Versu 4. ad 8. ipsa parabola prima proponitur. Quæ cum in textu Graeco una cum sequenti similitudine plane sit perspicua, & ex versione B. nostri Lutheri, quamquam paucula verba paulo aliter forte accipi & exponi queant, satis recte intelligentur, & intellecta memoriae inhærent, placet hic ex superfluo utramque integre ad tenorem textus originalis vertere, verbaque discriminis causa typis inclinatis exprimere. Vers. 4. Quis homo, inquit Servator, (est) inter vos, (qui) centum habens oves, amissa ex iis una, nonaginta novem, non relinquit in eremo, hoc est in loco vacuo, tuto tamen & clauso, in pratis minus cultis, aut pascuis, quæ à frequentia hominum destituuntur, atque adeo solitaria sunt, querendoque persegitur amissam, donec inventam eam recuperet? Quæ oratio interrogans quidem est, sed cum addito, nempe interrogans figurata, quæ valet: Nemo inter vos est, quithoc non faciat. Vers. 5. Nec inventam, (quod vox εὐγὰν necessario infert) humeris superimponit letum? Quid iterum est? Neminem vestrum esse puto, qui hoc facturus non sit, si quis inter vos connumeretur, cui oves curæ cordique sint, & ex iis aliquam amissam dehuc recuperet. Vers. 6. Nec reversus domum suam, ovem humeris gestans, amicos vicinosque convocat? dicens eis, & hanc in-

sententiam loquens: *Gaudete mecum*, mihique gratulamini, quia
(vel, postquam) *inventi*, hoc est, querendo recuperavi, ovem meam
deperditam? Ut ad ultimam hanc vocem usque loquela Christi ad in-
terrogationis vel interrogantis modulationem insitatur, totaque
interrogandi vis non pereat, antequam ad similitudinis apodosin
progressus fiat. Ceterum amici & vicini isti, qui hoc loco ad congra-
tulandum & congaudendum à recuperatae ovis domino invitantur,
ad hanc amoris & officii partem promptissimi omnino supponendi
sunt: quamvis interdum, qui malarum mentium sunt mores, in vi-
cinistales congaudendi affectus rariores interdum deprehendantur.
Ergo de melioribus id intelligi necessum est, si prior similitudinis
pars ad posteriorem quadrare rite beat, ubi Angeli cum DEO lœti
& cœleste gaudium gaudentes feruntur ob ovem, spiritualiter quæ
fuerat deperdita, nunc recuperatam, hoc est, ob peccatorem è pœ-
nitentia delictorum ad fidem reducūt.

§. 6. Versus septimus alteram similitudinis partem continet
his verbis: *Dico vobis*, quod similem in modum gaudium futurum sit
in celo de peccatore pauciente uno majus, (comparativi enim vis non
potest non includi ob sequentem comparationis particulam) quam
propter nonaginta novem justos, qui penitentia non indigent. Hoc
Christus vult, eodem prorsus modo, eadem ac majori etiam gaudii
intensione & magnitudine, qua amici ac vicini illius, qui ovem per-
ditam diu ac multum quæsitam repererat, cum possessore suæ pecu-
dis gaudeant, gaviluros quoque cum se ipso, qui publicanos pecca-
toresque varios ad gregem sanctiorem reducat, atque ita verum se
patrem familias, & bonum ovium pastorem demonstret, universum
celum, universam DEI domum, omnesque suos (dicere sic liceat.)
amicos & vicinos, hoc est, bonos ac pios quoslibet, quomodo cum
que hunc redditum comperiant, cum angelos, tum homines, ecclesie
sive triumphantis, sive militantis incolas, ob conuersum à pec-
catis ad DEUM peccatorem, & ad meliorem frugem se recipien-
tem: ut ita DEI Filius ad illum, qui ovem perditam recepit, pecca-
tor, dummodo vel unus sit, ad frugem cum pœnitentia revertens,
& cum fiducia gratiam amplexantem patiens, ad ovem perditam ac
recuperatam, sancti vere angeli & reliqui in terris pii, ad vicinos &
ami-

amicos, ob recuperatam ovem latatos, quam commodissime referantur.

§. 7. Per justos paenitentia non indigentes intelligendi non sunt ejusmodi homines, qui ab omni imperfectionis labore immunes, in nulla peccata, sive mortalia sive venialia, prolapsi sint; tales enim sub sole non licet meminisse, & omnis fere pagina in lacris literis contrarium clamat. Neque etiam eos plane vera docere puto, qui Christum ex Pharisaeorum, sanctos se putantium, opinione & ingenio loqui assertunt, quippe quorum falsa & pernicialis persuasio refutanda hic potius videri poterat, quam blandis loquendi formulis, & suppressa reprehensione fulcienda. Sed per justos, paenitentia non indigentes cum non paucis etiam Theologis intelligendos hoc loco eos arbitror, qui a gravioribus & commissis contra conscientiam peccatis per DEI gratiam carentes sibi id sedulo dant operam, ut per proditam quorundam delictorum obrepentium paenitudinem avulsay illam suam apud DEUM animo, & vel lacrymis etiam deplorent deprehensurique, ne deinde opus habeant graviori ac difficultiori illa paenitentia, qua post amissam omnino DEI gratiam & ecclesiae societatem fidelium coetui deueno interferantur atque redundantur: tali nempe paenitentia, qualis opus erat peccatoribus & publicanis, Christo hic loci adhaerentibus, qui per varia iniquitatibus genera a DEO ab alienati ac scissi fuerant. Hinc talis breviter verborum sensus est: O Scribae & Pharisaei, dicenti mihi credite, magis gaudium erit in consortio angelorum & quorumque in ecclesia priorum ob unum peccatorem, qui de peccatis vere dolet, & mihi querentem & amplexanti cum tremore contriti cordis, & cum ingenita divinitus fide se permittit, quam ob non aginta novem homines alios, qui hac extra ecclesiastici aberrantium publicanorum & peccatorum publice cognitorum anxie paenitentia non indigent. Rationem vultis? Illa est, quia hi simili modo perditi non sunt, atque adeo reversione sua simile gaudium aliis efficere non possunt. Quis enim de eo, quod non commisit, ita anxie dolet? quis in ecclesia persistans, aequaliter paenitentiam, ac fugitus, vel ejectus, ast redux, agere potest? quis denique de eo, qui amissus non fuit, atque adeo nec recuperari potest, tantopere latatur? Exploratum scilicet est, in iis, quae certo habe-

habemus, nos acqiescere; in amissis, at rursum inventis gaudii materiam nos invenire.

S. 8. Denique neque hoc prætermissio, Christum forte quodammodo in illa τῶν δικαίων appellatione ad quendam populi Iudaici differentiam respexisse, de qua apud Thomam Goewinum in Mose & Aarone pag. m. 73. est, quod ratione sanctitatis inter ἀσεβούς, δικαιούς, & οὐδέτερου facta fuerit. Certe ὁ διάστολος Scripturæ se mandatis subiectebant, volentes juxta ea se componere: atque ita bonam partem vii probi erant, carentes poenitentia notabilioris causas. Cumque τοῖς ἀσεβούσι, qui omnium sibi sanctissimi visi sunt, talis attribueretur sermonis formula: *Quod meum est, tuum est, & quod tuum est, tuum proprium est*: illi, media velut incedentes via sensisse & vivisse feruntur ex sententia sequentis formulæ: *Quod meum est, meum est, quod tuum est, tuum proprium est*. Cæteri autem, hominum flagitiolissimi, manibus pedibusque omnia ad se pertrahere cupientes, sic sensisse inducuntur: *Quod tuum est, meum est, & quod meum est, meum proprium est*. Unde suspicari liceat, quod Christus consuevit in populo sermonibus benignius se accommodans, ad medios illos digitum suum intenderit, dixeritque, majus gaudium futurum esse propter unum ēn τῶν ἀσεβῶν, ex improbis, quales hi peccatores huic usque fuerant, quam propter nonaginta novem alios ex numero τῶν δικαίων, justorum, probe viventium, quitali cum ecclesia DEI redunctione non habeant opus. Sed hæc in conjecturis.

S. 9. Haecen de similitudine prima. Succedit in ejus locum expendenda altera illa, de amissa repertaque rursum drachma, quæ ejusdem valoris atque argumenti, cuius præcedens, est. Aut quæ mulier est, pergit Servator humani generis amantissimus, (quæ) drachmas habens decim, amissa ex iis una, non accedit tycnum, & scopis domum perquirit, omnique adhibita cura vestigat, usque dum inventiat? Qui versus respondet versui præcedenti quarto in priori parabola, quemadmodum & sequentibus, quinto & sexto, nonus noster similis est, cuius verba: *Nec reperta illa convocat amicas vicinas que? diuens: Gaudete tecum, quia (postquam) drachmam ante a amissam recipi? Quæ, uti & versus decimi, verba ejusdem sunt sententiae cum præcedente versu 6. & 7.; quam ob rem, cum verbis pau-*

paululum mutatis res eadem maneat, nihil amplius addendum est
pinor.

§. 10. Versus 11. initium sicut similitudinis tertiae de filio prodigo, cuius patrem introducit duorum tantum filiorum procreatorem, uti vox *δύο* versu 11. & comparativi *νεώτερος* v. 12., ac *πρεσβύτερος* v. 25., itemque patris cum divisio bonorum v. 12., tum sermo singularis v. 31. confirmant. Cæterum quod Lucas dicit, *εἰπε δὲ*, quam commodissime veritut per: perrexit autem dicere: *Ἐτερετε aber fernier / er fuhr aber fort in seinen Gleichenh- Neden /* & per similes formulas. Versus 12. licentiosam filii natu minoris postulationem & subsecutam certæ hæreditatis à Patre factam distributionem continet. Versu 13. depingitur filius, stolidi supellectilis & sarcinulas colligens, peregre abiens, & paterna bona abliguriens. Versus 14. describit subsecutæ calamitatis & indigentia primordia, quam non parum auxit regionis, quam petierat, summa miseria, qva illa ex annonæ caritate premebatur. Versu 15. filius inedia labrans remedia querit, qibus vitam egentem ac miseram alat sustentetque. Versus autem 16. supremum miseræ gradum designat, qvantum non oppressus extinctusque fuit filius decoctor, dum pororum pabula requiriens ad placandum stomachum latranted, ne ad sufficientiam quidem iis potuit potiri.

§. 11. Versu 17. incipit duci pœnitidine post habitorum à se paternorum larium filius dilapidator, & confert utrumque vite suæ statum, cum eum, in quo apud patrem quondam vixerit, tum eum, in quo nunc sine patre miser vivat. Versu 18. & 19. consilium & rationem invenit, quo pacto ex illo famis & indigentia calamitate possit emergere, & deprecandi formulas animo verbisqve concipit. Versus 20. ipsam propositi executionem complectitur. Ubi obiter observandum, verbum, *ἡλθε*, reddendum hic esse non per tale ali quod veniebat, *Ἐτέλη* / quo itionis terminus significetur; sed proxima ad adventum adspirandi studia, per qvæ dixerimus: Cursum dirigebat, ibat, *Er gab sich auf die Reise / er zog zu seinem Vater / vel phrasin similem.* Ut evitetur *ὑστερον περιτερον*, dum in eodem versu sequitur, patrem filio procul adhuc absenti obviam processisse, eundemque complexum fuisse. Versu 21. ipsam proponit filius

lius deprecationem , qvam seqvitur versibus 22. & 23. paternæ filii in gratiam receptionis publicum inter servos familias documentum , & ad gaudendum lētandumqve apparatio . Vigesimo vero quarto gaudi ac lētitiae hujur assignatur ratio , qva explicata ipsum etiam gaudium epulare describitur . Versus 25. 26. & 27. (in qvo geminus atticulus notatu dignus est , qvo ὁ ἔας τῶν παιδῶν exaggerandi causa æque , ut pater v. 23. fecerat , mactatum vitulum circumscibit , confer . & vers. 30.) filium natu maiorem sicut sunt , rute redeuntem , ac lētitiae & epularem causam demirantem , sciscitantem , tandemqve ex ministro qvopiam assequentem , cujus versu 28. noratur , tacite que carpitur livor & invidia , conceptusqve sine ratione dolor & iracundia , & paterna domus fugienda studium non parum demens . Est vero homo ille elegantissima imago Phariseorum & Scribarum , publicanis , & peccatoribus illis insignioribus venia concessionem & receptionem in societatem & fœdus DEI invidentium ac dengantium , illaque eos semper indignos & incapaces clamitantium . Porro versu eodem pater pingitur , filium invidia erga fratrem à se abalienatum blandis verbis demulcens , eumqve meliora sentire docens . Cui filius versu sequente 29. singularem suam erga parentem pietatem , atque indefessum in tolerandis laboribus & faciendo ope re studium ac perseverantiam reprobat , qvæ tamen nullis remunerata præmiis sint ; cum frater , homo nullius pretiū vel frugis , & qvod maximum sit , decoctor inter scorta & prostibula portionis bonorum nimis licentiose patri exprestæ , (qvomodo ipse , filiorum senior , nunquam voluisse agere , nec , nisi ipsa patris voluntas suam simul sibi portionem sponte obtulisset , eandem petere sustinuisse), iste patris filius , quem nec fratris sui nomine dignari possit , è peregrinis regionibus , duce miseria , reversus sibi præferatur , conviviis que & epulis splendide apparatis excipiatur , se excluso & rerum imprudente , vers. 30.

S. 12. Hujus indignationibus pater respondet versu 31. & 32. dicendo , ipsum filium esse , qui patrem agnoscere merito debeat , nec opus esse his querelis : hus usqve semper illum secum fuisse , & è suis bonis quoqve ipsum diuitem factum , ut qvæ sua (patris) fuerint , filii quoqve fuisse omnibus sint visa , & adhuc etiam ipsius sint : In ipso

ipso præsente ut filio se quodam modo acqvieuisse, quando recte fecerit; sæpe, ubi errarit, dissimulasse; quidquid gloriatur, eadem ratione, uti nunc facere studeat, iterum iterumque in familiam oculo brachioque suo illum reduxisse, quod ipsi loco multarum epularum esse potuerit ac debuerit: Quod vero tam prælustre convivium ipsius causa non fecerit, inde esse, quod pari modo velut ab oculis suis scissus divisusque non fuerit, sed semper paternis usus sit tabernaculis. Ex quo planum fiat, adeo nulla ipsum à se (patre) injuria aut ignominia affici, ut potius ipse in iuris in se fratremque exilista. Gaudendum ipsi fratri, uti sibi, patri, lætandumque potius una fuisse ob alterius antea deperditi, nunc in gratiam cum domo patria redire cupientis, redditum & receptionem, cum ipse nihil inde detri-menti capiat, quod ipsius fratri, suo que filio benignus honos habeatur, quippe qvicum denuo fraterne ipsum in posterum agere sit aqvum.

§. 13. Cum igitur Christus in priore parabola gaudium ex re-perta ove perdita, & in posteriore lætitiam ex drachmæ inventione indicasset; in tertia hac amplius agens filium degenerem re:uperantis patris affectum non tantum ex gaudio astimandum sistit, nec tantum ex occursu & amplexu: sed ex copioso etiam ornatu, stola, annulo, calceamento, ex epulis & amoenitatibus epularibus, ex defensionibus ejusdem quondam degeneris filii, & correptione alterius, qui probus fuisse poterat videri. Vult igitur, Scribas ac Pharisæos hoc obseruare, patere etiam apud DEUM & se Messiam, redditum misericordiorum peccatorum in gratiam cum lætitia & gloria conjunctam, simulque false perstringit eorumdem, qui vere tantam coram DEO probitatem, quantam hic primogenitus patri jactat, jactare nequeant, incredibilem invidiam ac malitiam, homines hos, publicanos, & qvos peccatores dicere sverant, peccatis quidem onustos, sed & peccatorum onere liberari desiderantes, à gratia & misericordia divina prohibentium, ac in aeternum proscriptentium; docetque, similes eos esse murmuranti huic juveni, fratris commodis & fortunæ indolenti, qui tamen adeo nihil hoc pacto consecutus fucrit, ut parentis castigationem incurrit, & frater ad meliorem frugem sese recipiens, ob ejus murmur è familia patris non sit ejactus;

ex quo concludendum ipsis sit, propter ipsorum invidiam hos fese
convertentes regno DEI & aeternis tabernaculis exclusum noniri,
sed se potius de conversis ad se his hominibus latari, ac de ipsis Pha-
risaeis se avertentibus dolere: malleque bonos paucos e publicanis
& peccatoribus DEO dicare ac formare discipulos, quam multos
Pharisaeos ac Scribas superbos sibi circumfusos habere.

APHORISMUS IX.

Tertius Christi sermo in summulum contritus hoc ferè argumentum
habet: Nemo potest Christi esse discipulus, nisi omni valere iussa
injustitia & avaritia.

§. 1. Qvod in hoc Aphorismo tertio sermoni Christi argumen-
tum esse dicitur, id si verbis ex ipso textu de promis eloqui
quis velit, poterit ei in servire versus hujus capituli decimus tertius
totus, qui solus argumenti loco statim praemitti poterat. Sed ut o-
mnis reitenor eo clarius pateat, cœpto ordine cuncta perlustrare
pergemus.

§. 2. Sermonem præcedentem, tribus constantem parabolis
ad Pharisaeos Scribasque habuerat Christus, ut retunderet ipsorum
Q̄lauſlav, qua se solos suique similes probos estimabant, & hor-
rendam ceteros pro lubitu condemnandi, & à regno DEI procul ar-
cendi audaciam: id qvod felicissime pro divina sua sapientia etiam
præstitit. Sermo igitur, qui nunc sequitur, inque contextu tertius
est, ad ipsos Christi discipulos refertur. Hinc transitionis formula à
scriptore Θεοπίνευσω adhibita: "Ἐλεγετε δέ καὶ πρὸς τὰς μαθητὰς, ν. 1.
qua verti debent: Verba autem faciebat ad discipulos quoque. Ut
sensus breviter ille sit: Quæ præcedente capite (loqvor, quasi ipse
Evangelista historiam suam sacram in illa capitulu τυμηζα distin-
xerit,) retuli, ea universa Scribis potissimum & Pharisaeis dicta fue-
runt; quæ autem nunc subjiciam, ad ipsos Christi discipulos perti-
nent. Quemadmodum autem in aprico positum, per τὰς μαθητὰς
Christi auditores, à præcedentibus diversos, intelligendos esse; ita
in quæstionem nunc non vocabimus, sed inferioribus reservaturi
sumus, quinam hoc loco strictum illa voce capiendi sint?

§. 3. Sistit autem versiculus hic primus initium parabolæ Serva-
toris,

oris, de homine divite, qui usus administratore rei suæ familiaris sit
injusto ac prodigo, & propterea apud ipsum incusato. Citatur hic
deinde oeconomicus v. 2. ab hero suo, ut famam de se pessimam ad su-
as (domini) aures penetrasse audiat, atque ad reddendam rationem
se appareat. Certum esse, quod ea exhibita officio sit exeundum. Ver-
su 3. oeconomicus, perversitatis sua sibi conscius, in consilium secum
descendit, & de viis vitam suam post amissam oeconomiciam susten-
tandi sollicitus est. Facile eas invenit per eamdem in justitiam, per-
quam oeconomicia exuendus est, versu 4; exsequiturque meditata
versibus 5. 6. & 7. injustitia profecto non minore, sed pessimo ne-
bulone dignissima, tali tamen processu, ut sibi inde amicos compa-
rare studeat, eosdemque acquirat.

§. 4. Non opus hic est, id, quod versus 8. continet, judicium
domini de oeconomici sui sagacitate ac singulari in curandis prospici-
endisque suis commodis astutia multis verbis in judicium trahi. Lau-
davit ille hominem, non ut deceptorem ac furem, heri sui bona di-
lapidare & profundere non desistentem, sed respective, & eatenus,
quatenus futurae necessitatibus atque utilitati tam scite, sedulo ac
tempestive providerit servieritque. Oeconomici consilia probe pre-
meditata, ad futurorum temporum rationem recte applicata, &
caute convocatis magni artis alieni debitoribus, mutatisque syngra-
phis justo tempore perfecta, aliquam ipsi ex ipsius heri ore celebra-
tionem peperere. Et, ut paucis dicam, laudavit herus non delicti a-
fractatem, sed consilii celeritatem, id quod & ipsa litera docet.
Non enim dicitur laudasse herus oeconomicum, quod ablata à se bona
aliis dederit, sibiique gratiam furatus sit, sed quod sagaci mente cir-
ca Mamonam injustitiae versatus sit, prudenter res suas instituerit ac
gesserit, & gratiam ex opibus elicere studuerit.

§. 5. Neque etiam prolixe discutienda quæstio hic incidit, u-
trum per κύριον τὸν ἐπαυγάσοντα τὸν ὀνομόμον τῆς εἰδίκειας administra-
toris illius herus, versu 1. ἀνθεωπός πλαστός vocatus, intelligen-
dus sit, ita ut tenore perpetuo Christi duret oratio? an vero ipse
Servator noster parabolam, seu mavis, rem gestam, proponens, il-
le sit κύριος, ut versus 2. integer non Christi, sed Lucæ, verbis illius
eumdem interserentis, statuatur? Prius enim affirmant commenta-
tores,

tores, quos vidi, plerique omnes, sicut & in precedente §. ipse item feci. Posterius affirmant, ut Beza & du Dieu apud Walaxum, habent) Translatores Syrus & Arabs, altero vocabulum ὁ κύριος per: Dominus noster; altero per tale DEI nomen, quod soli DEO adscribit L. de Dieu idem explicante.

§. 6. Verum praterquam quod nulla nos necessitas cogat, ut aliud subiectum loquens hic introducamus ab eo, quod fuit antea, & deinceps redit, longamque adeo parenthesin temere faciamus; praterquam etiam, quod verba illa: ὅτι οἱ νιοὶ τὰ διῶν Θεοὺς τρέπεται &c. sic Lucæ, velut morale quoddam observatum, adscribenda forent, quæ tamen Christo ipsi alias etiam usitata fuisse exploratum est; praterquam & hoc, quod non potuisse Lucas commode Christi sermonem iterum necesse sine interposita tali formula: καὶ εἶλεγε, vel εἶτε δέ, aut simili: facile illa interpretatio per se corruit, si attendamus ad unam saltem vocem in prima fronte versus subsequentis 9. positam, καὶ γάρ, quam nemo per exegesos principia negare potest respectum aliquem ad immediate progressa, optime præsertim sic fluente sensu, innuere, ipsamque analogiam aut comparationem sistere inter illum dominum, soletiam œconomii sui laude prosequentem, & Christum, ad laudabiliorum prudentiam discipulos cohortantem. Valor namque particula καὶ γάρ hic breviter est: Ecce vero, laudavit dives ille homo administratorem suum ob singularem soletiam & sagacissimum in procurandis suis commodis ingenium. Quid me facere vós putatis? Καὶ γάρ οὐ μή λέγω, dico & ego vobis, principio & ego vobis, &c. Ut salva comparationis gratia, altera illa explicatio locum non inveniat. Quæ enim vis componentis partis prioris in voce καὶ γάρ? An non satis alias fuerat dixisse: λέγω οὐ μή λέγω? aut simpliciter, omisso personæ primæ pronomine, alias sæpe omitti solito: λέγω οὐ μή? Sed puto, curatus rem attendenti clara hæc fatis esse.

§. 7. Ceterum, quæ porro post laudationis mentionem sequuntur paulo jam ante dicta in eodem verso 8. ὅτι οἱ νιοὶ τὰ διῶν Θεοὺς τρέπεται &c. continent non fundamentum quoddam, quo motus patet familias œconomii sagacitatem laudaverit, à communiore negotiacionum in rebus mundanis prava calliditate, versutia & astu perfidum, quippe quibus antecellant: talis enim calliditas in male agendo nullus

nullo modo est laudabilis: nec Christi approbationem, quasi doceat,
non immerito herum illum in ministri sui encomium potius, quam
supplicium resolutum fuisse, cum alios egregie fallere hominum
mundo servientium eximia ars sit: qui enim Filius DEI approbare^t,
qvod ita à bono nomine probari poterat? sed concessionem qvandam,
qvod revera insignis aliqua solicitude & exulta celeritas consili^t,
qvam vel ipse Dominus laudaverit, in œconomio isto fuerit: ^t
hunc siquidem genium esse filiorum hujus mundi, ut plerique longe
attentiores, circumspectiores & prudentiores sint, qvam filii lucis:
& dandum hoc utique fuisse præcellenti hominis circumspetioni,
qua, uti plerique hujus seculi homines filios lucis antecellant, ita &
ipse eos antecelluerit. Atque hoc aliquanto etiam dilucidius intelligitur,
qvando illud ὅτι per: Wie denn / vertitur. Per Filios hujus se-
culi autem non præcise intelligendos puro eos, qui ad seculum præ-
sens mundanum tantum pertinent, & ad commune vivendi genus
omnia accommodant, parum ad regnum DEI qværendum attenti,
qvamvis honeste etiam extrinsecus viventes, & sceleris politice lo-
quendo non sint rei: imo Christum etiam noscere, & ore tenus pro-
fiteri, &, quantum oculis videri potest, in regno DEI degere, que-
unt. Possunt enim hi seculi hujus filii ad regnum mundi, Messiaqve
simul pertinere, ac tunc etiam pertinuisse, qvamvis ratione alia at-
que alia: ad illud nimurum respectu politicarum, œconomicarum-
que actionum, & varii viyendi generis ad colligenda alimenta ac-
commmodati; ad hoc autem respectu externæ saltem professionis de-
DEO, &, sive venturo sive exhibito, Messia. E diverso *Filius Lucis*
mea sententia sunt, qui Christum desiderant animo, JESUM pro,
Messia agnoscunt & habent, & velut talem etiam apertius confi-
tentur, acque ita cum ratione internæ fidei, tum ratione externæ
professionis divinam lucem amplexantur.

S. 8. His omnibus, qui gradu tamen inter se differunt, aliisque
in primis lucis divina primordiis, alii in amplioribus amplioribus
que lucis progressibus versantur, prudentiores perhibent ut filii hu-
jus seculi εἰς τὴν γένεσιν αὐτῶν, sumta voce γένεσις illo significandi
modo, qui tertius est inter eos, qvōs Flacius Clav. Script. S. sub voce
Generationis recenset. Sic autem significantur homines non quidem
eadem

eadem ætate viventes , sed eodem prædicti ingenio & mortibus iisdem .
Eis yvesdū dūjōw igitur est , inter homines sui census vel generis , in-
ter homines sui similes , Germ. Unter ihrem Volcke / unter ihren Leu-
ten / bey ihres Gleichen . Sed haec in controversiam nunc non adeo
vocantur : & , qvæ seqvuntur , omne , qvod Aphorismus proposuit ,
negocium evincunt .

¶ . 9. Sistitur nimirum in illis altera pars , sive ἀπόδοσις simili-
tudinis , qvæ Parænesis habet ad secundam in vita communii justiti-
am , & juste faciendam restitutionem opum injuste acqvisitarum . Est
vero his verbis concepta illa Parænesis : Ποιήσατε ἑαυτοῖς Θλαγέν τῷ
ρωμαϊκῷ αὐτοῖς Ἰητα , ὅταν εἰλίπητε , δέξωται υἱῶντας εἰς τὰς διω-
νίας συναντάς .

¶ . 10. Quid opus hic multa proferre ? id , qvod Aphorismus
noster tradit , recte ex hoc dogmate probatur : si quidem possessores
Mammonæ , in justitiae nomen à suis opibus removere , & in iisdem
plane non confidere , sed easdem , cum sua cuique reddere haud
queant , in tales amicos conferre jubentur , qui vel in æterna taber-
nacula eos queant suscipere verl . 9. Unde omnino id conseqvitur ,
suscipiendis in æterna tabernacula necessariam esse ab in justitia &
avaritia deflexionem . Qvod ut magis confirmetur , argumentum ad-
dit à Majori ad minus hac ratione : magis probabile est , in retenuissi-
ma , qualis est pecunia & opulentia , esse fidum , qvam in re majoris
momenti , qvales sunt res spirituales : qvicunque igitur in re valde
tenui , ēt ἐλαχίσῳ fidem tenent , & conscientiæ nulla vulnera infli-
gunt , de iis idem sperari potest ēt τῷ πολλῷ ; qviautem in re tenui vi-
olata conscientiam non metuit , cum facile esset , eam ibi conserva-
ri puriorē , is multo minus dubitabit violare conscientiam in re
graviore . In thesi haec tenus illa Christus proposuerat v . 10. deinde ea
transfert ad hypothesis eodem argumento robore utendo : Qvod si i-
gitur vos mei discipuli in minus justo Mammona , inqve eo , qvod
revera respectu bonorum meo in regno possidendorum exigui pre-
tii est , nondum fuitis , neandum facti estis fidi , quis vobis illud con-
cedet , qvod verum bonum est ? & si in eo , qvod alienum est , qvod
ab aliis , & maxime Judæis , corrasisti , aliis debetur , ad alios susten-
tandos pertinet , atqve aliis post mortem vel varium casum relin-
quen-

quendum est, nondum fuisti, neendum facti estis fidi, ut recte illud dispensare didiceritis, quis vobis dabit id, quod vestrum est, quod vobis hominibus ex æterno destinatum est, quod vobiscum durat, ad vos, in beato meo, quod nunc prædicatur, regno jure pertinet, & vobiscum in cœlos transiturum est, v. II. 12. ego certe hoc vobis non credam, non dabo, nec aliis quisquam id dare potest: neque vos utriusque simul pares eritis, qui ne alterutri quidem recte administrando pares estis: Siquidem nec unus servus domesticus duos dominos æque amare potest, sed ordinario vel hunc præ illo, vel illum præ hoc diligit: nec vos, mei discipuli, æque terrestrem nummum ac cœlestē Numen diligere potestis. Ex quibus omnibus clarissime constat, id Christum hoc sermone suo velle, ut discipulis sui illiberalitatem cum amore pecunia iniquiore omnino cavere discant, tanquam sic concludat: Ergo fideles estote in administrando Mammona vestra in iustitia, quam fidelitatem exercebitis, si illud unicuique reddatis, à quibus avare extorristis, vel si inter pios pauperes, ac Ministros DEI distribuatis, quod vestrum non est, cujusque veros dominos ignoratis: id quod vobis jam Num. V. 6. 7. 8. præscriptum legitur, quodque Daniel Nabuchodonosori olim Cap. IV. 24. jam consuluit: ut adeo hoc pacto ostendatis, omni vos iniquitatis studio & avaritiae renunciare, quod non potest non esse absolute necessarium, siquidem mihi Deoque placere velitis.

APHORISMUS X.

Quarta CHRISTI Oratio Pharisæis ostendit, amatores divitiarum rem legis Prophetarumque esse negligentes, & regni divini membra, licet coram hominibus talia videantur, tamen non esse, talesque homines, priusquam Mosen & Prophetas rectius discant, discipulos ipsius esse non posse.

§. I. **A**udierant maxima sua cum molestia Christum adversarii apud Pharisæi, contra in iustitiam in male acquirendis & male detinendis opibus acri oratione dicentem, & denique concludente, DEO simul & Mammonæ servire neminem posse: paulo ante audiverant quoque, qua Christus pro suscipiendis etiam infirmorum generum peccatoribus verba fecerat, nec quidquam illi contradixit.

dixerant. Ipsi Φιλάργυροι erant; &c, qvod iphis varie objicit Christus, omnia callide ad fructum pecuniarium, & conqvirendam opulentiam accommodare norant. Luc. XI. 39. Christus iis exprobat hoc vitium his verbis: νῦν ὑμεῖς δὲ Φασισταῖς τὸ ἔξωθεν τῷ ποληγίᾳ καὶ τῷ πνευματικῷ καθαριζόμενοί εἰστε τὸ δέ εστωθεν ὑμῶν γέμεις αἴσπαγῆς καὶ πονηρίας. v. 40. οὐ θεούς, οὐχ οἱ ποιῆσας τὸ ἔξωθεν, καὶ τὸ ἔσωθεν ἐποίησε; v. 41. πλὴν τὰ ἔναρτα δότε ἐλεημοσύνην, καὶ οὐδὲ, πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐσιν. Scilicet pateras & crateras rapina & dolo foeda esse ait, atqve inde postulatur, ut in eleemosynas rapta & dolose cepta donent, ac sese antiqua injuritia liberent, qvippe qva semper polluti maneant, qvidqvid lavent ac mundent, donec aliena restituant. Eadem hæc sunt, qvæ noster locus è Luc. XVI. 9. telonis & peccatoribus, cunctisqve, qui terrestribus divitiis instructi Christum cupiunt, præcipit, qvamvis, qvibus maxime eleemosynæ dandæ, & qvinam inde amici faciendi sint, clarius è nostro loco patescat, nimirum il, qui alios egentes in tabernacula æterna suscipere possunt.

§. 2. Paulo ante diem suæ captivitatis sanctissimus noster Dominus Phariseis idem objicit, nimirum Math. XXIII. v. 25. 26. Καὶ εὐ-
bis Scribe & Pharisæi, hypocrite, qvia repurgatis, qvod exterioris tibi po-
culi, & patine obsonii: ex interiore autem plena sunt rupti & intem-
perantia. Pharisæe cœutiens, munda primum interioris poculi & patina, ut fiat mundum eorum qvoque exterius. Et v. 14. dixerat: περιβολαὶ Scri-
be & Pharisæi, qpiā devoratis domos viduarum, & qpiā prætextus est,
longum precantes. Proper hoc quidem abundantiorem condemnationem recipietis. Qvæ avaritia & Φιλαργυρίæ eorum cum in promptu sit,
non mirabimur, si Luc. XVI. v. 14. ipso legamus ἐκμυκήσεις οὐτας
τὸν Χεῖτον. Id qvod tamen impune non fecerunt.

§. 3. Hinc enim natus sermo Christi quartus, in Pharisæos inve-
ctivus, qvō iphis incredibilem hypocrisim objicit, qvod coram homi-
nibus ipsi se justos cum omnium aliorum & suo, Christi, etiam con-
temtu simulent ac prædicent, qvodqve ab imperita plebecula varie
justi & Mosis cultores habeantur; sed DEUM ipsorum, avarorum &
lucreri cupidine, aliisqve virtutis æstuantium hominum, interioris nosse,
qvod ita justi non sint, qvales se fingant; simulationes ipsorum, per
qvas hominibus, ex exteriore conversandi ratione ingenia æstiman-
tibus,

tibus, imponant, DEO clausas non esse, qui in intima ipsorum pe-
ctora introspicat, & absconditam cordium malitiam in conspectu
habeat. Quid potius DEUM ipsos nosse, quod plane non sint justi;
quidquid enim in hominibus, & inter homines se se ratione justitiae
divinae extollat, id omne coram iudicio DEI in abominatione ponit:
quod vero ipsi se ita extollant, patescere tum ex ipsorum sententia
de excludendis tam facile est regno DEI quibusque telonis, & morosi-
tate in recipiendis peccatoribus, tum ex mysteriis & sublannatio-
nibus, quibus se, vera & bona peccatores edocent, prosequuntur.
Potuerat vox Θελυμα, quae in Graeco est, cum voce οὐηλανη con-
jungi, hoc modo, ut rationem inferat, quae, quod DEUS ipsorum
noscat corda, ipsis clare probet, vim suam sic servante particula ὅτι,
ut hic sensus emerget: Vos Pharisæi justos vos fingitis coram ho-
minibus: DEUS autem novit corda vestra: elata enim ista & superba
in (quibusvis) hominibus aliorum abominatione vel aversatio, in
conspectu DEI est, sive quod idem est: superbum illud fastidium,
quo homines alii alios, & vos præcipue Pharisæi publicanos, pecca-
tores, & ipsum me tam vehementer ac fastuose aversamini, DEUM
non latet. Verum cum τὸ Θελυμα ordinarie passivum denotet,
non aversandi actionem, in prænotatis salvo distinctivo commate
acquiescimus. Hæc de Capitis XVI, v. 15to.

S. 4. Pergit Servator, & objicit iis, post avariciam nunc etiam
legis & Prophetarum ignorantiam: debuisse scilicet illos Mosen &
Prophetas discere, quod si fecissent, mysteriis usuros contra se
non fuisse, qui Legem non solvat, sed stabilit, qui que in lege suum
testimonium habeat: Legem enim & Prophetas usque ad Johannem
prædictissime de se, Christo, quod scilicet per se ingressus in regnum DEI
debeat patere: à Johannis estate regnum DEI in se, Christo, revela-
tum apertius etiam peccatoribus prædicari, & omnes, quod admis-
sandum, nunc in illud violenter intrumpere, vi. 16., sed quidquid con-
tra hæc moliantur Pharisæi, quidquid etiam contra se, velut legis
contemtores calumniantur, Mosen & Prophetas perstitoros cum suis
debet yaticinijs: Facilius esse, ut cœlum ac terra corruant, quam vel u-
nicus legis apiculus labatur, tantum abesse, ut ipse legem defruere
velit, v. 17., ipsos autem Pharisæos legem & Prophetas in integris suis

sententiis non tanti estimare, quanti ipse vel minimum apiculum
censeat, quamquam *νουοδιάσταλοι* esse & nominari velint: patere
id ex divertiorum materia, quam ipsi pessimo consilio extenderint ac
dilataverint, cum restringenda illa potius sit, & apud Mosen Deut.
XXIV.v.1. stricti juris esse reperiatur, quippe quo loco id in uxore re-
quiritur, ut *הָאִישׁ מֵצָא בַּהּ עֲרוֹתָךְ* Vir invenerit in ea turpitudi-
nem (nuditatem) negotii, atque ita quidem, ut propterea *מִשְׁנָה*
בְּעִנוֹן – *חַנְןָתְּכָנָה* mulier non possit gratiam in oculis viri in-
venire, qui nolit ad restorationem thori conciliari: hoc vero in nego-
cio cum ipsi multum evagentur, se iis Mosen explicaturum esse; ni-
mirum quisquis uxorem suam dimittat sine *רָוּתָךְ*, sine turpitudi-
ne facti, sine nuditate adulterium faciente, atque aliam ducat, illum-
moechum esse, & eum, qui dimissam sic à viro ducat, itidem adulteri-
um committere: firmum hoc ita esse, ut cœlum potius & terraruerere
debeant atque interire, quam legem in hoc negocio mutari: quippe
qua in omnibus tum moralibus, tum Evangelium spectantibus sit im-
mutabilis, quid quid suis artibus ac παζοπαραδίτοις eam invertere,
Pharisæi laborent, suo ordini si proficeré videatur. Verum ipsi hanc
licentiam non profuturam: nullum sine *Mose* & Prophetis rectius co-
gnoscendis aditum in divinum ecclesiæ Messianæ regnum patere,
quem sibi *ἐκμυηθεὶς* ov̄sec autò tam facilem frustra imaginentur.

S. 5. Mortuum vero apud ipsos esse hominem plane ipsis non
dissimilem, & inter luxuriae & avaritiae conjuncta vitia beatum habi-
tum ab hominibus, hominem Judæum, & Abrahamum pro patre,
quantum ad carnem & fidei professionem attineat, agnoscetem, à
Pharisæis etiam molliter tractatum, cumque moreretur, splendide, ut
eximium Abrahami filium, Judaico more esse sepultum, atque à per-
multis sans beatum prædicatum; neminem dubitasse, quin ille in su-
num Abrahæ abierit; & ibi mentæ beatorum proxime fuerit adhibi-
tus: sed longe aliam conditionem esse futuri regni beati, atque vulgi
& Pharisæorum sit perswasio. Multos ibi præcipuos & honoratissi-
mos esse, quos hic Pharisæi suo è consortio propulerint: contra vero
multos, qui hic sancti, Deoque ob externum opum incrementum
dilectionissimi sint habitui, sive è Levitarum & Sacerdotum sanguine, sive
ex reliquo populo fuerint, ibi epulis beatioribus excludi, atque ad
tar-

tartara detrusos esse , qvibus svtum : Pater Abraham : nihil profuerit . Contigisse id diviti illi epuloni , dñs wñp w plwstn w jndiowtno-
mew p o g f y g a n k y B u a r o n , k y e n f o r m o m e n t o n a d ' n u b e a n l a u r e n t i s , de
Mose interim & Prophetis , unde vera laetitia accessi potuerat , plane
nihil , aut secure cogitanti , qvi , qvod ipse vere dicat , in præcipitia
78 d d s datus , & in tormenta projectus sit : nec illum potuisse vel mi-
nimam divini solaminis particulam , qvæ vel guttulam aqvæ æqvaret ,
obtinere , nec , cum à qvinqe suorum fratrum tremendo accessu ad
eadem sua habitacula merueret , qvidqam promissi de extraordina-
rio conversionis modo audire , sed illos per Abrahamum ex visione
cum ipso loquentem ad Mosen & Prophetas esse alegatos , qvos qui
non audiat , iis nihil ad conversionem sufficere , ne summa quidem , &
omnes naturæ vires superantia miracula , & mortuorum resuscitati-
ones maxime stupendas . Fuisse autem Lazarum eodem tempore , ho-
minem misellum , ægrum , ulceribus obsitum , contemnum & abje-
ctum , ex copia divitis paululum opis , qvod satiaret , & ex deciduis
frustulis , qvorum epuloni nulla cura , qvod reficeret , sibi optantem ,
& desiderantem , nec obtinentem pro necessitate , muko minus in-
troducunt , medicis commissum , aut sanatum : sed ad fores illum ja-
cuisse , ad canum societatem expositum mansisse , qui itidem accesser-
int , & lambendo ulcera non tam bene fecerint , qvam dolores è
doloribus suscitaverint . Qvamvis vero ille nihil misericordiæ in ho-
mine sui sanguinis , Judæo , invenerit , & vel canibus (sic gentiles ap-
pellabant Judæi) ludibrio fuerit , mortuum tamen angelis gratum ,
& paradiſo suscepimus , & Abrahamo proxime adductum esse , cuius
in ſinu , hoc eſt , ad cuius pectus , divinis epulis accubuerit , ac diuina
ſolatia abunde ſenſerit . Tendebat hæc narratio ad convincingendos in-
teriorius Phariseos , qui copioſe ſe habere diuinā putabant , & , qvafī ni-
mis ſaturi eſſent de Mose & Prophetis , qvorum clavem cognitionis
habere videbantur , vaticinia de Christo , & ingressu miferorum , pec-
atorum & gentilium in regnum cœlorum , parvi aſtimabant , nec
peccatores miferos , velut qvemdam Lazarum è divitiis ſcripturæ re-
creare , ſatiare , & ſanare desiderabant , qui tamen vel micas ſolatii ,
qvomodo in regnum DEI reciperenrur , flagitarent , & vel solo eo re-
creari cuperent , qvod ipſis levissimum videbatur . Sed uti hic Lazarus

in ccelos receptus, epulo vero abjectus sit, ita & miseros multos contemtosque peccatores, ipsosque Pharisæis odio, & proselytis, ipsique gentilibus contemtu existentes publicanos regno DEI, ejecitis Pharisæis, susceptum iri: certe nisi Pharisæi Mosen & Prophetas invaticiniis divinis accuratius legerint, scrutati fuerint, intellexerint, quod nunc per divitiarum lubidinem, & per suam ipsorum justificationem & hypocrisim querere hand possint, & tamen quererent necessario debeat, (conferantur hic Joh. V. 39. sqq.) illos ipsos, qui alios excludant, exclusos esse à regno ccelorum, & in illud introire nulla ratione posse. Atque ita hac comparatione tacita homines obstringit, ut obmutescant, neque quidquam addant.

APHORISMUS XI.

Quinta tandem Christi omnis dialogum continet de variis discipulorum suorum virtutibus.

S. I. **C**apistrum Dominus Pharisæis injecerat: nunc illis obmutescitibus ad suos revertitur. Elte δὲ πρὸς τὸ μαθῆτας, quid ipsos deceat circa alienum introitum in regnum ccelorum observare. Hic equidem omnis generis discipuli intelliguntur, Apostoli, septuaginta, & reliqui Christo adhaerentes discipuli: maxime tamen ad firmiores hic sermo dirigitur, quos Christus monet (1.) de vitando scandalo, quod, cum pravorum hominum ingens per orbem copia sit, inevitabile omnino sit; à discipulis tamen suis quibuscumque caveri debeat, ne quis σκανδαλον ἔσται τῶν μηδενὶ τέτων, per quos μηδες τέτοιο intelligit defensos à se discipulos novelloos, nondum satis confirmatos. Vult igitur, ne quis firmiorum quidquam sibi sumat, quo teneras has, & regno DEI proximas mentes debilitate, perturbet, à regno DEI alienas, atque in via ad regnum DEI titubantes & claudicantes faciat v. 1, & 2, id quod confirmat iunctis vocibus: Προσέχετε εὐθοίς N. 3. Quibus tamen, ut nec aliis, nec sibi etiam ipsi sint offensioni, simul monet: siquidem plerumque cum offensione aliorum offendicula sibi ipsis statuta connectere sanctissimus Dominus consuevit. Vid. Math. XVIII. 6--9. Coll. Marc. IX. v. 38--48. Scilicet id postulat, ut, dum forte alios Pharisæica ratione, admittendos non censeat ad suam societatem propter peccata, in quibus huc usque

que fuerint, sibi ipsis praesentes sint, & eaveant, suorum peccatorum, suæque imbecillitatis memores, ne eadem in censura ipsos se offendant, regnoque DEI ipsi excidant.

§. 2. Hinc monet eosdem, (2.) si forte per diabolos respondere velint, sicut & Pharisæi cogitabant, esse tamen homines illos saepissima farinæ, qui reliquis Judæis & sibi etiam suisque omnia fecerint mala, sanguinemque sape & succum expresserint, ut adeo non ita facile iis sit condonandum, nec tam subito aditus, licet aliqua restituant, ad regnum cœlestis concedendus, de vitanda tali iracundia, pro qua mansuetudinem commendat, & injungit. Offendere neminem scandalo iis injunxerat; sibi etiam ipsis scandalum ne ponant, docuerat: nunc si forte ipsi varia ratione sint offensi, vel offendantur, quomodo se gerere fas sit, edocet. Suos scilicet discipulos, quantumvis ab aliis egregie læsos, non debere odisse, sed peccantes corrigere, æqua ratione corripere, &, si agnoscat, erratum contra mores Pharisæicos remittere, licet vel septies eodem die ab iisdem fuerint lacerati, v. 3. & 4.

§. 3. Hic dialogo inserviunt Apostoli, qui haec tenus didicerant, à vera fide omnia pendere. Qui, cum longo sermone audissent, qua cura Christus c. XIV. v. 25, ingressum in æterna regni divini tabernacula circumsepsisset, quaque fiducia telonas & peccatores ad quærendum hunc ingressum instruxisset cap. XV., quaque providentia iustitiam, avaritiam, hypocrisin, contemptum aliorum, & neglectum Evangelii in Mose etiam & Prophetis quærendi, ab ingressus cupidis removisset cap. XVI., & quomodo nunc etiam cunctos discipulos regnum cœlorum ingressos de vitando scandalo & duritia Pharisæica, iracundia & vindictæ cupiditate monuissest c. XVII. v. 1. - 4. ; ipsi tandem, quanta hac sint, & quanti negotii agnoscentes, silentium abrumptunt, &, Qponiam, ut Erasm. Rot. verbis ad h. l. utar, intelligebant, sotent omnium Evangelicarum virtutum esse fidem, quam adeo diligenter Dominus exigebat in edendis miraculis, quam toties comprobavit in multis etiam alienigenis, que nibil non impetraret; Et per quam ipsi quæque morbos depulerant, demonia ejecerant: nec ignorabant, fidei defectu, factum, quod quemdam muto obnoxium demoni non quiverint liberare: quamquam nec ceteris Evangelicis præceptis erit ideneus,

nisi

quis certam animo fiduciam conceperit aliquis &c. &c. dicunt Domino: Domine quando nihil habemus boni, nisi ex te, rogamus, ut adauges nobis fidem!

S. 4. Hæc ille inter Pontificia cogitata non quidem male, partim & optime, nec tamen satis expresse. Certe Apostoli non suæ virtutis humanae hæc postulata esse dum intelligunt, & fidem telonis & peccatoribus ita liberaliter concessam dum vident, augmentum fidei non miraculosa tantum perunt, sed & fidei salvificæ illius, per quam omnia abjiciant & omittant negocia, quævis scandala caveant, suos que affectus vincant, in quibus regno DEI augendo impedimentum ullum afferre queant. Imo metuentes forte etiam, ne novelli discipuli sibi præveniant, videntur aliquid poscere, in quo recens accessueros superent, atque ita omnibus fidei consortibus prævii maneant. Fuisse enim in iis magnum gloriolæ desiderium, undique facillime cognoscitur. Atque id ex responso Domini conjicimus, in petitio non malo tacite aliquid superbi latuisse. Ille enim fidei ipsis non quantitatem, sed veritatem & sinceritatem quærendam commendat: per eamdem enim fidem sinceram & effecturos esse summa quæque miracula, quorum specimen in sycamino offert, & humilitati maxime operam datus, ne sibi quid præ aliis esse videantur, nec justo majora postulent, uti servus nihil sibi depositare possit, quando id faciat, quod facere fas fuerit, sed servus omni jure maneat, suaque sorte inter servitia contentus manere debeat. Ita & ipsos debere nihil supra sortem suam poscere, sed dono DEI contentos in id allaborare, ut, quod decet, faciant, &c., si vel difficillima quæque & laboriosissima propter Christum onera sustinuerint, vel stupenda maxime miracula ediderint, promptissime tamen agnoscant, à DEO, Domino suo, virtutem omnem se in regno DEI existentes accepisse gratis, nil fecisse, in quo alios contemnere liceat, aut quod mercedem depositat, sed quod gratiam uberiorem desideret: plus scilicet, sciant, suo se debere DEO, nec ulla ratione tantum adimplevisse, quantum adimplere & perficere debuerint, multo minus quidquam ultra ræ diat tax. De vita exegisse. Atque ita breviori huic de virtutibus discipulo dignis colloquio finis datur.

Sed hac nunc quidem battens: que supersunt, proxime sequentur.

94 A 7346




1017

HL. 86.

B.I.G.

Farbkarte #13



DISSE¹⁹⁴TATIONIS EXEGETICO-THEOLOGICÆ
DE
DISCIPULIS CHRISTI
EX
MAMMONA INIQVITATIS
Sibi
SUSCEPTORES IN ÆTERNA TABERNA-
CULA CONCILIARE JUSSIS,
Occasione dicti Luc. XVI, 9. enata
PARS PRIOR,
Qvam
Favente DEO, & Venerando Theologorum Ordine,
PRÆSIDE
UNIVERSITATIS RECTORE MAGNIFICO,
VIRO
Summe - Reverendo, atque Excellentissimo,
DN. JOHANNE PETRO
WILCZENBERG
Ph. & S. Theologiæ Doctore, hujusqve in Illustri ad Varnum
Academia Prof. Publ. & Ordin. Celeberrimo, Consist. Ducalis, qvod Rostochii
est, Assessore, nec non Districtus Meklenburgensis Praefule Vigilantissimo,
nunc etiam sua FCtatis Decano Spectatissimo,
Domino, Patrono, Præceptore ac Hospite suo
submisso venerando,
ad d. 13. Octobr. c. 13 Icc. horis antemeridianis
in Auditorio Majori,
pro elaborationis mediocritate benevole examinandam Eruditis subjicit
M. JOH. PHIL. STAHLIUS, Hildes.
S. Theol. Cultor.
ROSTOCHI, Typis B. JACOBI RICHELII, Amplif. Senat. hact. Typogr. hered. 17II.